THEOREMATA THEOLOGICA

IN

SUMMAM

SANCTI THOMÆ,

SUB GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS

REVERENDISSIMI, ac ILLUSTRISSIMI

CAPITULI METROPOLITANÆ ECCLESIÆ SALISBURGENSIS,

In Alma & Archi-Episcopali Universitate Salisburgensi,

PRÆSIDE

P. ALANO RITTER,

Ordinis S. Bened. Antiquissimi Monasterii Wessofontani Professo, SS. Theologiæ Doctore, ejusdémque Professore in Scholasticis Ordinario, Celsissimi ac Reverendissimi Archi-Episcopi, & S.R.I. Principis Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, ac Universitatis Vice-Rectore,

PUBLICÆ DISPUTATIONI SUBJECTA

à

Reverendo, ac Doctissimo Domino

JOANNE PETRO KNOLL,

Collegii Archi-Episcopalis Alumno, AA. LL. & Philosophiæ Magistro, SS. Theologiæ Candidato Examinato, & Approbato.

Die 19. Maji, Anno à Partu Virginis M. DCC. XXXIV.

Horis Ante- & Pomeridianis.

SALISBURGI,

Typis Joannis Josephi Mayr, Aulico-Academici Typographi & Bibliopolæ p. m. Hæredum.

5

REVERENDISSIMO, ac ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
ANDREÆ JACOBO
COMITI DE DIETRICHSTEIN.
PRÆPOSITO.

REVERENDISSIMO, & ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
LEOPOLDO ERNESTO
LIBERO BARONI DE FIRMIAN,
DECANO.

REVERENDISSIMO, & ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
FRANCISCO
COMITI DE LIECHTENSTEIN, LIBERO
BARONI IN CASTELKORN, ET SCHENA,
SENIORI.

TOTÍQUE
ILLUSTRISSIMO, ac REVERENDISSIMO
METROPOLITANÆ ECCLESIÆ
SALISBURGENSIS
CAPITULO.

DOMINIS DOMINIS
GRATIOSISSIMIS &c. &c.

REVERENDISSIMI,

ET

ILLUSTRISSIMI

DOMINI DOMINI

GRATIOSISSIMI &c. &c.

QUi Regium illum ex Asia Legatum invasit horror, cùm Romam profectus Consulum, Senatorúmque, ac cæterorum Magistratuum Majestatem conspexisset, ut amissâ repente voce nihil eloqui posset, nisi ut Romam URBEM REGUM exclamaret, eodem & me percelli oporteret, dum conspectum vestrum subeo, REVERENDISSIMI, AC ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI MOECENATES,

TES, niſi Clementia Veſtra ùt orbi univerſo cognita, ita mihi nota penitus, atque perſpecta eſſet, ſcirémque, eam eſſe Illuſtriſſimam Indolem Veſtram, quæ plus Amoris, quàm Terroris cupiat præſeferre: ut adeò Viæ Lacteæ, quæ cœlum amœniſſimo candore permeat, vos comparare non iñeritò poſſim; quot enim Reverendiſſima conſidero Capita, tot mihi Sidera videre videor, non ex Junonis lacte in cœlum reſperſa, ſed ab uberibus Gratiæ in Templi, Provinciæque Salisburgenſis Horizontem derivata, quorum aſpectu non terror intuentibus, ſed incredibilis quædam amœnitas ingeratur, cùm ad univerſorum ſolatium, atque præſidium Vos natos, factósque conſpiciamus. Et ſanè, quod Neapolitanus Vates (*) de Domitiano Imperatore falſò aſſeruit:

Ipſum, ipſum cupido tantùm ſpectare vacavit
Tranquillum vultu, ſed Majeſtate ſerena
Mulcentem radios, ſubmittentémque modeſtè
Fortunæ vexilla ſuæ;

Idem de veſtra manſuetudine, atque facilitate, qua diſſimulato Dignitatis ſplendore ad infimorum quorumque vota deſcenditis, jure optimo aſſeverârim. Plenus ergo fiduciæ ad Vos confugio, quamquam plurima eſſent, quorum reverentia ab acceſſu me Veſtro deberet coërcere. Nam ſive Stirpium Veſtrarum claritatem, maximorúmque in Vobis Heroum, qui ſeu pro Reli-

gio-

(*) *Statius lib. 4. Silv. 2.*

gionis munimine, ſeu pro patriæ ſecuritate aut in acie fortiſſimè dimicârunt, aut magnas animas in armis poſuerunt, Sanguinem aſpicio, non ſine ſacro quodam horrore ad tantorum Nominum Hæredes accedendum judico: ſive magnitudinem Dignitatis admiror, quæ tanta eſt, ut, dum tot penè Mitras, quot Capita video, ſummis Honorum, Officiorúmque Titulis exornata, nullam totius Germaniæ (dicere auſim, Europæ) Eccleſiam cum hac Salisburgenſi comparari poſſe affirmem, reverentiâ attonitus non ſine velata manibus facie acceſſum moliri ſuſtineam. Quid dicam, Vos ejus Eccleſiæ prima eſſe Membra, quæ ſola Romanæ, Catholicæque Fidei, labentibus ſæpe, aut claudicantibus cæteris omnibus, columna fuit firmiſſima, nullo unquam graviſſimorum etiam Schismatum turbine à Romanæ Petræ fundamento divulſa? Quid dicam, Vos eſſe tot Sanctorum, quorum meritis impletus Orbis, oneratus Æther, digniſſimos Succeſſores, & quàm non degeneres! quàm ſtrenuos Majorum æmulatores! Id Sapientia Veſtra, qua omnium Scientiarum theſauros exhauſiſtis, omniáque Sacratioris Doctrinæ, ac Themidis adyta penetrâſtis, ùt olim publicis conſpicui laureis, ita nunc Prudentiæ, Sapientiæque radiis in omnem Germaniam liberales: Id innumeræ Virtutes Veſtræ, quibus cætera omnia, cùm Illuſtriſſima ſint, redduntur illuſtriora, intacta Religio, Divi-

ni

ni Honoris propagatio, Munificentia, Liberalitas, in rebus graviſſimis Magnanimitas, in negotiis difficillimis Dexteritas, in officiis Fides, atque Integritas teſtatur. Hæc talia ſunt, quæ, ut dixi, ſacro me metu percellere, aditúque mihi Veſtro interdicere debere videantur. Verùm eadem me exſtimulant, ut ſumma cum fiducia accedam, audeámque, Theologica hæc Theoremata cum Theſibus ex Univerſa Theologia propugnandis Nomini Veſtro dedicare, Honori conſecrare, favori perpetuo commendare. Accedunt rationes aliæ, quæ me, hoc ut auſim, non tam admoneant, quàm compellant. Nam ſi vocales olim voluêre Gratias Antiqui, dum eas in Templo Delphico, ſuo quamque inſtrumento muſico armatam, poſuêre; ego, qui tantis à Vobis ornatus incedo Gratiis, non vocalis, ſed mutus ſim? Meminimus, REVERENDISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI, meminimus Veſtræ in parentem noſtrum Munificentiæ, quem ſex omnino luſtra Veſtris in miniſteriis clementiſſimè foviſtis: meminimus Facilitatis Veſtræ, qua, octennio abhinc, fratris mei natu majoris Theſes ex Univerſa Philoſophia Nomini Veſtro inſcribi gratioſiſſimè permiſiſtis, eidem in arena publica decertanti clementer adeſſe non dedignati, pugnæ teſtes, & hortatores. Meminimus Veſtræ Beneficentiæ, cùm patri defuncto eumdem Germanum meum in officio ſuffeciſtis, rei-

reíque granariæ Curatorem, ac Antigrammateum conſtituiſtis. Quibus pro favoribus cùm parens noſter, quamquam ipſi ejus cineres id poſſe exoptarent, agere gratias jam non valeat, relictum hæredi officium hac Theſium nuncupatione exſecutum eo, eásque in perpetuum gratitudinis noſtræ monimentum ad Tholum Gratiæ Veſtræ affigo. Suſcipite, quo ſoletis, animo benevolentiſſimo laborem meum, méque Favoribus Veſtris, quibus beatiſſimum, fortunatiſſimúmque fore me arbitrabor, ſemper fovete, qui, dum ſpirabo, perſeverabo

Reverendiſſimarum, ac Illuſtriſſimarum Dominationum Veſtrarum

Humillimus, Subjectiſſimus, ac Devotiſſimus

JOANNES PETRUS KNOLL.

AP.

APPROBATIO
SAC. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

THeoremata hæc Theologica, utì in Universæ Theologiæ difficiliores Controverſias inſigni eruditione, parique ſtyli elegantiâ excurrunt, ita non ſine maxima voluptate perlegi, cúmque præterea à Fidei Orthodoxæ placitis, rectísque morum regulis nullibi diſcedere, quin etiam omnia in iisdem mira ſolidiſſimæ doctrinæ claritate pertractari deprehenderim, ſanè in Clariſſimum Authorem injurius forem, niſi palam pronuntiarem digniſſima, quæ & lucem publicam pro literarii Orbis egregio Ornamento aſpiciant, & pro Coronide cursûs Theologico-Scholaſtici promeritam immortalis famæ & gloriæ Coronam imponant. Sic cenſeo, ſimúlque Clariſſimo D. P. Authori ſinceriſſimè gratulor

Die 1. *Sept.* 1733.

P. CORBINIANUS THOMAS,
Ord. S. P. Bened. ex Imp. Monaſterio Elchingenſi, SS. Theologiæ Doctor, ejusdémque in Moralibus Profeſſor Ordinarius, Celſiſſ. ac Reverendiſſ. Archi-Epiſcopi, & S. R. I. Principis Salisburgenſis Conſiliarius Eccleſiaſticus, ac S. Facultatis p. t. Decanus.

)()(ELEN.

ELENCHUS

Quæstionum & Articulorum in hoc Opere contentorum.

PARS I.

De DEO, ejus Constitutivo, & attributis.

QUÆSTIO I.

De quidditate, divisione, & qualitatibus Theologiæ.

Articulus I. *Quid, & quotuplex sit Theologia?* Pag. 1
Art. II. *An Theologia sit scientia strictè talis?* 6
Art. III. *An Theologia sit habitus entitativè supernaturalis?* 15
Art. IV. *De aliquibus ad Theologiam pertinentibus.* 22

QUÆSTIO II.

De DEO quoad se, & ad intrà considerato.

Art. I. *An possit existentia DEI solo lumine naturali cognosci?* 32
Art. II. *Respondetur argumentis sententiæ adversæ.* 39
Art. III. *In quo consistat esse Divinum primò, & formaliter?* 46
Art. IV. *An & quomodo perfectiones creaturarum sint in DEO?* 58
Art. V. *De Immensitate DEI.* 67
Art. VI. *De æternitate DEI, & quomodo vi æternitatis creaturas præteritas, præsentes, & futuras sibi præsentes habeat?* 78

QUÆSTIO III.

De cognoscibilitate, seu visione DEI.

Art. I. *An intellectus creatus possit elevari ad visionem DEI per essentiam?* 91

Art.

Art. II. *An lumen gloriæ ſuppleri poſſit per ſolam aſſiſtentiam extrinſecam?* 98
Art. III. *Quomodo intellectus cum lumine gloriæ concurrat ad viſionem, & unde proueniat inæqualitas viſionis?* 107

PARS II.

De illis, quæ DEUS operatur ad extrà.

QUÆSTIO I.

De creatura purè ſpirituali.

Art. I. *An exiſtentia Angelorum poſſit à priori, vel ſaltem à poſteriori ratione efficaciter probari?* 118
Art. II. *De quidditate Angelorum.* 126
Art. III. *Quomodo Angeli diſtinguantur?* 132

QUÆSTIO II.

De Angelo quoad corpus.

Art. unicus. *An Angeli habeant corpora ſibi naturaliter unita, vel ſaltem aſſumere poſſint?* 144
Quæres I. *An etiam DEUS in veteri Teſtamento in corpore aſſumpto apparuerit?* 149
Quæres II. *An Angeli in corporibus aſſumptis valeant exercere actiones vitales?* 150

QUÆSTIO III.

De via Angeli quoad gratiam, & meritum.

Art. I. *An Angelus in primo inſtanti creationis habuerit gratiam ſanctificantem, & quomodo?* 152
Art. II. *Quodnam fuerit peccatum Angeli?* 159
Art. III. *De pœna mali Angeli.* 170
Art. IV. *Quomodo Angeli tam boni, quàm mali ſe habeant ad locum?* 177

PARS III.

De illis, quæ hominem afficiunt.

QUÆSTIO I.

De ultimo fine hominis.

Art. I. *De fine in genere.* 187
Art. II. *In quo consistat beatitudo formalis?* 193
Art. III. *De consequentibus beatitudinem.* 200
Art. IV. *De perpetuitate beatitudinis, ejúsque variis prærogativis.* 209

QUÆSTIO II.

De libertate actûs humani.

Art. I. *In quo consistat libertas?* 218
Art. II. *Quid sentiendum sit de præmotione juxta mentem S. Thomæ?* 224
Art. III. *Respondetur ad objectiones.* 230

QUÆSTIO III.

De moralitate actûs humani.

Art. I. *Quid & quotuplex sit conscientia?* 243
Art. II. *De conscientia probabili.* 253
Art. III. *An peccata negativè dubia sint materia necessaria confessionis?* 270
Art. IV. *Respondetur objectionibus, & aliqua resolvuntur.* 278
Art. V. *De efficacia virtutis Pœnitentiæ quoad venialia.* 282

PARS

PARS I.

AGimus in hac parte de iis, quæ S. Thomas in I. Parte suæ SUMMÆ pertractat de DEO, ejus constitutivo, & Attributis Divinis &c. posteà transgressuri ad ea, quoad *extra*. Incipimus autem à Prolegomenis S. Doctrinæ, quia rarò, vel tantùm breviter ab aliis Theologis impressis percurruntur.

QUÆSTIO I.

De Quidditate, Divisione, & Qualitatibus Theologiæ.

SAnctus Thomas antequàm agit de natura Theologiæ, de ejusdem qualitatibus initium ducit, posteà *art.* 7. inquirit de subjecto, vel objecto Theologiæ, & ex illo ejusdem quidditatem desumit, forsan claritatis causâ hac methodo usus est. Nos conformiter ad Philosophiam priùs de natura, subinde de qualitatibus agemus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Theologia?

THeologia ex ipso nomine est habitus versans circa DEUM, vel, ùt S. Doctor hìc *art.* 7. in responsione *Sed contra* loquitur: *quasi sermo de DEO*; ex quo de-

deducit S. Thomas, DEUM esse objectum Theologiæ, unde cum illo

Dico I. DEUS est objectum Attributionis in Theologia.

Declaratur: objectum attributionis in aliquo habitu est illud, ad quod omnia referuntur, quæ ab habitu tractantur: sed ad DEUM omnia referuntur in Theologia: ergò DEUS est objectum attributionis. Maj. suppono ex Philosophia. Min. est S. Thomæ hìc *cit. art. in Corp.* dicentis: *omnia autem pertractantur in sacra Doctrina sub ratione DEI, vel, quia sunt ipse DEUS, vel, quia habent ordinem ad DEUM, ùt ad principium, & finem.* Quæ clariùs patent ex ordine rerum per totum Theologiæ cursum tractandarum. Unde ùt rectè advertit hìc *disput. 2. sect. 1. à n. 5.* Noster Sapientissimus Cardinalis Aguirre, Theologia dividi potest in duas partes: in prima agitur de DEO, ùt attributa, eorúmque functiones, decreta &c. & hæc respiciunt DEUM ùt unum, quæque possunt etiam via naturali cognosci, ùt contingit in Metaphysica, si rectè tradatur, vocatúrque ideò Theologia naturalis, quatenùs ea, quæ de DEO cognoscit, se habent ad modum conclusionis, ex aliquo effectu naturali, qui habet rationem principii, illatæ: aliter enim ad DEUM naturaliter non pertingimus, nisi cognitione effectuum juxta illud Rom. 1. v. 20. *invisibilia - ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Dein infert Apostolus: *ita ut sint excusabiles.* De quo infrà. Aliter fit in Doctrina sacra, ubi ad DEUM ascendimus revelationibûs elevati; hinc DEUS ipse, veritatésque Divinæ revelatæ, sunt principia, ex quibus conclusiones deducimus.

In secunda parte Doctrinæ sacræ agitur de effectibus DEI, utì *de Angelis*, *Actibus humanis*, *de gratiâ &c.* quæ ad DEUM ùt finem ultimum referuntur. Cúmque ejusdem

di-

diſciplinæ ſit agere de oppoſitis, etiam tractatur de vitiis, & peccatis; quatenùs creatura per illa à DEO tanquam ultimo fine avertitur, & quamvìs peccata ad DEUM reduci non poſſint, eorum tamen cognitio, & deteſtatio ad DEUM refertur. De cæteris, puta, de *Incarnatione*: de Sacramentis aliàs certum eſt, eſſe opera DEI, ad ſalutem noſtram ordinata. Ea, quæ tractantur *de Jure*, & *Juſtitia* ſerviunt, utì & *Leges*, ad conſtringendam hominis petulantiam, ne à fine ſuo ultimo deflectat. Ex quibus

Dico II. DEUS eſt objectum Theologiæ ùt ſubſtans 2
revelationi, & ùt Author ſupernaturalis. Aſſertio conſequitur ex diſtinctione Theologiæ naturalis, & ſupernaturalis, ſive ſit talis entitativè, ſive terminativè.

Confirmatur. Principia, ex quibus Theologia procedit, reſpiciunt DEUM, ùt Authorem ſupernaturalem: ergò in hac linea DEUS eſt objectum. Conſequentia tenet ex Philoſophia. Antec. probatur: principia ſunt primò S. Scriptura tam veteris, quàm novi Teſtamenti, qui autem libri authentici, declarat Tridentinum *ſeſſ. 4.* in decreto de *Canonicis Scripturis.*

II. Verbum DEI non ſcriptum, id eſt, traditiones Apoſtolorum, quæ ab illis ſucceſſivè per alios & alios ad noſtra usque tempora pervenêre, & ab Eccleſia agnoſcuntur, ùt patet ex *Trident. cit. loc.*

III. Concilia generalia, aliáque à Pontifice approbata, quidquid Hæretici contra moliantur, centies à Catholicis cum ratione exploſi.

IV. Definitiones Pontificum ex Cathedra loquentium, quorum Authoritatem infallibilem agnoſcit Theologia ſincerè Catholica contra Sectarios, & aliquos Catholicos Gallos, qui ſub Ludovico XIV. Galliæ Rege docuêre, Pontificem ex Cathedra loquentem errare poſſe, quod adhuc tenere videntur, dum à Pontifice ad Concilium Ge-

Generale appellare præsumunt. Priorî sæculô à Cardinalibus nostris Aguirre in defensione Cathedræ S. Petri, & Sfondrato in Regali Sacerdotio tam efficacibûs argumentîs convicti sunt, ut illi pudorem, defensores verò purpûram retulerint.

V. Denique Authoritates SS. PP. præsertim dum in materia fidei unanimiter conveniunt, tunc juxta communem Theologorum Authoritatem habent supparem, seu propè æqualem Conciliis generalibus; quod colligitur ex verbis Christi Domini *Matth. 28. v. 14.* ubi discipulos, & in illis alios Episcopos, & Doctores ad docendas gentes ordinavit, atque addidit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quæ significant assistentiam Spiritûs Sancti. Et *Luc. 10. v. 16.* ait: *qui vos audit, me audit:* tum etiam, quia tanta SS. PP. & Ecclesiæ consensio signum est antiquæ, & immemorialis traditionis, quæ est una ex regulis fidei, & morum. *Vid. Aguirre fol. 58. num. 46.* si tamen Patres non conveniant, ùt sæpè fit, tantæ Authoritatis non sunt, possúntque cum reverentia dimitti, præsertim in materiis aliàs dubiis. Hæc sunt principia Theologiæ, quæ omnia ultimatô respiciunt DEUM, ût Authorem Supernaturalem, ex quibus infero, Deitatem esse rationem formalem *quæ*, & formalem *qua* revelationem, quod ex Philosophia deduci potest.

Dividitur in positivam, moralem, & scholasticam. Positiva simpliciter exponit scripturam non argumentando, verba, sensúmque dilucidat, ideò positiva dicitur; quia ponit firma veritatis fundamenta, ùt Theologia Salisburgensis vult hìc *disput. 1.* alii ab expositione positivam appellant. Moralis exponit scripturam in ordine ad mores formandos, utraque etiam vocari potest dogmatica, quatenùs ex veritatibus revelatis, & ex fide receptis in-

fert

fert dogmata Christiana. Methodô rigorosâ utitur Theologia Scholastica ex Philosophia desumpta, atque de DEO, aliisque immediatè, vel mediatè revelatis conclusiones deducit, quò hodie etiam moralis & Polæmica reducitur, utraque enim strictè procedit. Scripturistica est, quæ varios scripturæ sensus exponit. Alii plures adhuc divisiones adducunt, quæ tamen facilè reducuntur ad prædicta, si modò sensus scripturæ rectè attendatur. Ex his dubium est,

An Theologia scholastica sit necessaria Ecclesiæ, & quomodo? S. Thomas *art. 1.* affirmativè concludit, necessariam scilicet esse ad humanam salutem doctrinam quandam secundùm revelationem Divinam, & intelligit Theologiam. Pro quo

Nota: Theologia quoad methodum scholasticam non est necessaria cuilibet in particulari; quia fides haberi potest per solum assensum, & ex fide spes, ex spe charitas, ùt patet in rudibus, aliisque non doctis. Quæstio ergò solùm est, an Ecclesiæ sit necessaria, quatenùs per illam juxta S. Augustinum *lib. 14. de Trinit. cap. 1. apud S. Thomam hìc art. 2.* in responsione *Sed contra: fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.* Ex quo non nemo argumentatur: fides est simpliciter necessaria ad salutem: ergò etiam Theologia, per quam fides gignitur. Sed illatio ùt jacet, evidenter probat nimium; quia omnes fideles deberent esse Theologi. Nec favet argumento illi Magister Ferre hìc *tract. 1. quæst. 2. §. 1.* & proin invitus in subsidium trahitur; ille enim solùm loquitur de Magistris, & Doctoribus, in quibus necessariam esse Theologiam vehementer contendit ex eo, quòd illa, quæ per se spectant ad fidem, sæpè obscurissima sint, atque ideò non rarò à multis pravè, & sinistrè intelligantur, ùt patet ex Epistolis S. Pauli, de quibus S. Petrus *Epist. 2. v. 16.*

ait: *in quibus quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem:* ergò Theologia saltem est necessaria in Magistris ad explicandas obscuritates, non tamen in quolibet fideli.

Sed nec ultimum hoc admitto de necessitate simpliciter tali, & sub hac methodo; nam primi Ecclesiæ PP. in doctrina fidei non usi sunt hac methodô, quod exinde patet; quia methodum istam primò obscurè S. Augustinus, clariùs noster Petrus Lombardus Magister sententiarum, & clarissimè S. Thomas, & Scotus, veluti duo Luminaria in scholas invexerunt: sed simpliciter prædicârunt fidem explicando obscura. Si aliquando arguebant, fiebat ex naturali vi intellectûs, lumine fidei illustrati, ùt modò faciunt fideles, qui Theologiæ ignari sunt. Unde ego infero, Theologiam tantùm moraliter, & ad facilius esse necessariam Ecclesiæ præsertim contra Hæreticos, quos rigor scholasticus usque ad confusionem exagitat. Illationem colligo apertè ex S. Thoma hìc *art. 1. in Corp.* ad finem, ubi, postquàm docuit, necessarium fuisse hominem instrui revelatione Divina, infert: *ut igitur salus hominibus, & convenientiùs, & certiùs proveniret, necessarium fuit, quòd de Divinis per revelationem instruerentur.* Dein infert necessitatem sacræ Doctrinæ, quæ ubique fidem sæpè gignit, dum infideles anteà fidem docet, eósque in fide roborat, & contra infidelium, & Hæreticorum insultus defendit.

ARTICULUS II.

An Theologia sit scientia strictè talis?

4 SCientia in genere, & in rigore scholastico juxta Philosophum *lib. 1. posterior. lect. 2. Est cognitio certa, & evidens rei per causam.* Habitualis verò est habitus tali-

liter inclinans intellectum, ùt colligitur ex verbis ipsius: *scire est rem per causam cognoscere, & quòd illius sit causa, & quòd non potest res aliter se habere*; quæ & alia ex Philosophicis deducta pugnant satìs apertè contra Theologiam; cùm enim Theologia non *cognoscat rem per causam, & quòd illius causa sit*, evidenter non penetret, quia nititur præmissîs obscurîs, sequitur eam propriè scientiam non esse.

Nec dicas cum Magist. Ferre *cit. loc. §. 2. n. 28.* Aristotelem solùm loqui de scientiis naturalibus, quas solas agnovit, & illas quidem intellectum certificare ex evidentia principiorum; sed hæc non pugnare contra Theologiam, quæ quidem ex tali evidentia certitudinem non desumit, sed tamen ex fide magìs magísque certa sit, quàm scientiæ naturales evidentes certæ sint. Nam

Contra est I. si Theologia est propriè scientia juxta ipsum, & alios, valdè absurdum est, ei denegare, quòd scientiis inferioribus competit, scilicet evidentia. II. sit Theologia certior quoad se aliîs scientiîs *quoad se*, non tamen est certior *quoad nos*; quia principium certitudinis non cognoscitur clarè, sed certitudo tota, & evidentia fundatur in principiis scientiæ Superioris, scilicet visionis, Theologiam sibi subalternantis. Proin

Dico I. Theologia quoad se est scientia. Ita intelligo 5
S. Thomam hìc *art. 2.* per totum, nec aliter sentire videntur Thomistæ, præsertim Aguirre hìc *disput. 3. sect. 2.* ubi potissimùm ex Authorit. PP. argumentatur, ídque solùm evincit, Theologiam communiter ab omnibus dici scientiam, quod nec nos negamus in sensu latiori, si sola certitudo requiritur, vel, si quoad evidentiam ad scientiam subalternantem recurritur. Hinc

Suadetur Conclusio: illa est vera scientia *quoad se*, quæ procedit ex principiis certis, & in se evidentibus: sed ita procedit Theologia: ergò est vera scientia *quoad se*.

Min.

Min. prob. quòd principia *quoad se* sint certa, nemo fidelium negat, quòd in se evidentia sint ratione scientiæ subalternantis, certum est ex eo; quia in subalternante cognoscitur res, ùt est in se, quam modò cognoscimùs in ænigmate.

Confirmatur ex S. Thoma hìc: Theologia est scientia ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut perspectiva procedit ex principiis notis per Geometriam: sed hæc est scientia quoad se: ergò & Theologia. Min. patebit statim.

6 Dico II. Theologia quoad nos, & pro hoc statu neutiquam est scientia.

Ratio hujus est assignata, quam in formam redigimus: omnis scientia propriè dicta essentialiter procedit ex certis & evidentibus principiis: sed Theologia non procedit ex principiis certis, & evidentibus: ergò non est scientia propriè dicta. Major ex Philosopho est certa, nec minùs ex S. Thoma quoad rigorem scientiæ; nam 2. 2. *Q. 1. art. 5.* ubi quærit, *utrùm ea, quæ sunt fidei, possint esse scita?* Negativè respondet ex ratione: *quòd omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa* (id est evidenter cognita) ùt ex *Corp.* patet: sed Theologia non habetur per aliqua principia per se nota, quia solùm credita sunt, & hoc ipso obscura. Unde S. Doct. ibi in *Corp.* infert: *impossibile est, quòd ab eodem idem sit scitum, & creditum.* Hoc autem contingeret in altera sententia, quòd eadem conclusio ab eodem possit esse credita, & scita: ergò Theologia non est scientia.

Nec dicas, S. Thomam eodem *art. ad 2.* dicere apertè contra nos: *ex his autem principiis ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes, unde etiam Theologia scientia est.* Quid clarius ait Magist. Ferre hìc *quæst. 3. §. 1.* præsertim cùm S. Thomas

mas se referat ad *part. 1. art.* 2. ubi ex professo docet, Theologiam esse scientiam.

Sed respondeo, S. Thomam utroque loco de scientia latè, & impropriè tali dicere, quod sic ostendo primò ex *cit. art. 5. ad 2.*

Si juxta S. Thomam ex principiis fidei tantum pro- 7
baretur apud fideles, quantum ex principiis naturaliter notis, tunc principia per rationes demonstrativas à Doctoribus deberent proponi; nunquam enim generatur scientia stricta, nisi per rationes demonstrativas : sed hoc est falsum juxta S. Thomam : ergò tantum non probatur, quantum Magister Ferre existimat. Major est clara; quia obscurum non generat lucem. Min. est S. Thomæ *cit. loc. ad 2.* útque res clarè appareat, audienda est objectio 2. ibi : *scientia per rationes acquiritur, sed ad ea, quæ sunt fidei, à sacris Doctoribus rationes inducuntur : ergò ea, quæ sunt fidei, possunt esse scita.* Ad hanc objectionem respondet S. Doct. sic : *dicendum, quòd rationes, quæ inducuntur à Sanctis ad probandum ea, quæ sunt fidei, non sunt demonstrativæ, sed persuasiones quædam, manifestantes, non esse impossibile, quod in fide proponitur, vel procedunt ex principiis fidei, scilicet ex Authoritatibus sacræ scripturæ.* Consequenter negat S. Doct. quòd ea, quæ sunt fidei, simul possint esse scita ex defectu rationis demonstrativæ, quam requirit ad generandam scientiam; quomodò ergò inferret sine contradictione scientiam strictè dictam ex eo, quòd apud fideles ita probetur aliquid ex principiis fidei, sicut probatur aliquid ex naturaliter notis apud omnes; cùm tamen in principiis illis nulla ratio demonstrativa sit, sicut in naturaliter notis. Vult ergò S. Thomas solùm hoc, quòd fideles aliqui ita adhæreant principiis fidei, sicut omnes alii naturaliter notis, quod patet ex constantia Martyrum; ex hoc autem

tantùm sequitur scientia largè, & impropriè sumpta, quod

8 Ostendo II. *ex art. 2. primæ part. quæst. 1.* ideò Theologia est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia DEI, & Beatorum, ùt arguit *in Corp.* S. Thomas: sed ex hoc juxta ipsum S. Thomam non est scientia propriè dicta: ergò ex hoc art. nihil probatur. Prob. min. Theologia est scientia sicut Perspectiva, & Musica, ùt S. Doctor loquitur; jam sic: Perspectiva non est scientia quoad nos, nisi clarè, & evidenter cognoscat lumen Geometriæ; nec Musica, nisi perspecta habeat principia Arithmeticæ: ergò nec Theologia erit scientia, nisi perspecta habeat principia superioris scientiæ: sed hæc non habet, nec habere potest pro hoc statu: ergò nec erit scientia. Ant. prob. facilè: omnis scientia propriè dicta debet posse suas conclusiones resolvere in prima principia: sed prima principia sunt illa scientiæ subalternantis: ergò quamdiu Theologia non potest conclusiones suas in illa resolvere, tamdiu non erit scientia: subsumo: sed est impossibile absolutè, conclusionem resolvere in principia, quæ nota non sunt: ergò non est scientia propriè, & strictè dicta: atque hoc fortiùs pugnat contra Theologiam, quæ nulla vi naturali, nec supernaturali, saltem ordinariè pro statu viæ potest principia subalternantis attingere, vi tamen naturali fieri potest in Perspectiva, & Musica; da mihi perfectum Musicum, qui simul sit Perfectus Arithmeticus, & erit in illo musica scientia, sicut perspectiva in perfecto Geometra.

9 Nec obest S. Thom. *in fine Corp.* sic loquens: *unde sicut Musicus credit* (imò sæpè vel nunquam cogitat de illis, nec forsan cogitare possunt illæ simiæ verorum Musicorum) *ita Doctrina sacra credit principia revelata sibi à*

DEO

DEO; aliud enim est *credere*, aliud *intelligere scientificè*, quod ultimum reddit scientiam perfectam; imò si etiam sciret quis evidenter aliqua esse revelata à DEO, & sic haberet evidentiam in attestante, tamen non sciret illa revelata in se, possétque manere fides juxta communem Theologorum sententiam cum evidentia in attestante, & subalternata, qualis ultima juxta AA. est Theologia. Nam S. Thomes ipse *quæst. 14. de verit. art. 9.* ait: *ille, qui habet scientiam* NB. *subalternantem* NB. *non perfectè attingit rationem sciendi, nisi in quantùm ejus cognitio continuatur quodammodò cum cognitione, quæ habet scientiam subalternantem.* Quid clarius? Et hunc textum ipsi etiam allegant Adversarii, sed contra rem, & se ipsos.

Confirmatur juxta Aristotelem, qui *cit. loc.* ad finem sic habet: *oportet simpliciter scientem immutabilem esse:* atqui Theologus tamdiu immutabilis non est, quamdiu evidenter non cognoscit objectum, ùt patet in aliis scientiis: ergò non est simpliciter sciens. Maj. tenet ex ipso S. Thoma *quæst.* statim *cit. art. 1.* ubi docet, *quòd, quando intellectus ad alteram partem contradictionis mediatè, vel immediatè non determinatur ab evidenti veritate objecti intelligibilis, tunc ejus motus nondum est quietatus, sed habet adhuc cognitionem, & inquisitionem de his, quæ credit, quamvis firmissimè eis assentiat; quantum enim est ex se ipso, nondum est ei satisfactum, nec terminatus ad unum, sed terminatur tantùm ab extrinseco; & inde est, quod intellectus credentis dicitur esse captivatus &c.* quæ omnia contingunt in Theologo, cui deest evidentia objecti, determinatio ad unum, & plena quies: quomodò cum his stare potest scientia vera? Quòd autem intellectus tam credentis, quàm docentis sit captivatus; cùm tamen vi scientiæ deberet esse quietatus, & immobilis, rem consideranti sine affectu est certum. Dic enim, & alius accipiat verba dicentis, DEUM esse unum in essen-

tia, & trinum in Personis, atque Personas, licèt quælibet identificetur cum *esse*, nihilominùs esse realiter inter se distinctas: dic, DEUM esse immutabilem, & tamen unam ex Divinis Personam assumpsisse naturam humanam intrinsecè, sicque factam esse hominem intrinsecè sine ulla sui mutatione, hanc Personam passam, & mortuam esse pro nostra salute; cùm tamen modos mille alios habuisset nos redimendi. An non ista paradoxa sunt audienti æquè, ac dicenti, captivato in obsequium fidei intellectu; hinc Apostolus dixit, passionem Christi, & Martyrium Judæis esse scandalum, gentibus autem stultitiam. Unde etiam de Mysterio altaris dixit Porphyrius apud P. Knellinger S. J. in Concion. *Nihil stultius esse, quàm quòd Christiani DEUM suum devorent.* Atque ex his, aliisque satìs clarè, si rectè applicentur, evincitur, Theologiam non esse scientiam, utpote talibus subnixam, quæ intellectum captivant, quem vera scientia liberum, & immobilem reddit.

10 Dices I. cum Aguirre, Ferre, Cavino, & communiter cum aliis: Theologia est virtus intellectualis: sed non potest alia assignari, ad quam pertineat, quàm scientia, & sapientia; quia non est lumen primorum principiorum, nec ars, nec prudentia: ergò est scientia, & sapientia.

Resp. Theologiam quoad se esse scientiam, & sapientiam ex ratione data quoad scientiam; quoad sapientiam ideò, quia gaudet principiis superioris scientiæ altissimis, de rebus altissimis: quoad nos verò ad utramque reduci; nec inanes sunt termini illi, & gratìs assumpti: *quoad se*, & *quoad nos*; quare enim & AA. citati dicunt, Theologiam esse veram scientiam, quamvìs modò non habeat statum scientiæ, quid hoc aliud est, quàm quòd nos dicimus? Dein juxta AA. hæc propositio: *DEUS existit: est nota per se quoad se* propter convenientiam prædicatorum inter se,

non

non tamen *quoad nos*; quia illam convenientiam non cognoscimus. Ita Aguirre, qui sola Authoritate PP. inductus Theologiam defendit scientiam, sed ùt ex argumentis apparet, contra suam mentem

Clariùs Magist. Ferre *cit. loc.* Nam, *esto*, ait, *pro hoc statu Theologia procedat ex fide Divina, tamen ex sua natura non habet ex fide procedere, sed ex principiis evidenter notis in scientia Beatorum:* ex quibus utique rectè infero: ergò est scientia tantùm quoad se, & *exigitivè*, non verò pro hoc statu, & quoad nos; quia implicat juxta S. Thomam aliquid esse *scitum*, & *creditum*.

Dices II. cum aliquo Clarissimo Antecessore: ad es- 11
sentialem scientiæ conceptum nulla requiritur evidentia formalis, seu actualis intrinseca, sed sufficit certitudo ex principiis fidei, & *evidentia consequentiæ*, etsi non habeatur evidentia principiorum, & *consequentis* illati: ergò Theologia, habens certitudinem, & evidentiam *consequentiæ* erit vera scientia. Antec. prob. actualis evidentia defactò non datur, nec radicalis aliena scilicet visionis quidquam facit ad fundandam scientiam; cùm sit potiùs extrinseca: sed exigentia ad formam intrinsecam non tribuit denominationem intrinsecam, nisi forma actu insit subjecto, utì e.g. per exigentiã materiæ ad formam specificam non habetur intrinseca specificatio, neque ex Doctrina, quæ Domino inest, servus subordinatus dicitur doctus: ergò cùm evidentia, à qua Theologia denominatur scientia, actu non insit, non potest illam reddere scientiam.

Confirmatur ex Aristot. suprà *cit.* & invertitur argumentum adductum: *scire est rem &c.* ex quo patet, ad scientiam solam, infert ille, requiri firmitatem, & certitudinem principiorum; nihil enim dicit Aristot. de eviden-

tia, quæ in vulgari, & spuria scientiæ definitione circumfertur, quòd videlicet sit cognitio certa & evidens: ergò evidentia non est de conceptu essentiali.

12 Resp. ad argumentum nego antecedens, ad prob. concedo primum membrum, nego secundum; quia est contra S. Thomam, qui *cit. art. 2.* ideò vocat Theologiam Scientiam, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ; illa autem principia actualiter nota non sunt: ergò tantùm radicaliter & exigitivè, quatenùs Theologia cum illis petit conjungi, quod aliis Thomistis ad fundandam Scientiam etiam *quoad nos*, & pro hoc statu sufficit, nos autem in eo collocamus scientiam quoad se. Dein falsum est, quòd exigentia illa sit potiùs extrinseca; cùm sit ordo intrinsecus ad illa principia superiora, quamvìs ipsa principia defactò sint Theologiæ extrinseca; aliud enim est ordo ad formam: aliud forma; nec est ad rem instantia de materia prima; quamvis enim exigentia ad formam sit reverà intrinseca materiæ, imò identificata; est enim appetitus innatus, non tamen specificatur intrinsecè, cùm respiciat formas substantiales indifferenter, & aliàs incapax sit specificationis positivæ, quæ ab actu differentiali proprio descendit, qualem ùt pura potentia habere non potest. Illud de servo non meretur responsum; quid absurdius dici posset?

Ad Confirmat. nego illatum; nam contrarium ex ipso textu eruitur, & patet ex dictis; dum, ùt monui, illa certitudo nobis in via non est nota clarè, sed obscurè per fidemtantùm. Quòd illa descriptio Scientiæ, quam hic Adversarius ipse in Philosophia legitimam agnovit, sit spuria, gratìs dicitur, nisi ostendat defloratione m.

AR-

ARTICULUS III.

An Theologia ſit habitus entitativè ſupernaturalis.

MUlti non tantùm Theologiam dicunt entitativè ſupernaturalem, ſed inſuper eſſe habitum per ſe infuſum, ut exinde magìs ſtabiliant: ſed hæc poſterior opinio tam clarè contra S. Thomam hìc *quæſt. 1. art. 6. ad 3.* & 1. 2. *quæſt. 45. art. 1. ad 2.* pugnat, ut nihil apertiùs eſſe poſſit. Loco primo docet, Theologiam ùt Sapientiam aquiri per ſtudium, licèt ejus principia ex revelatione habeantur. Loco ſecundo autem dat diſparitatem inter Sapientiam, quæ eſt donum Spiritus Sancti, & Theologiam noſtram; nam *hæc*, ait, *aquiritur ſtudiô humanô: illa autem eſt deſurſum deſcendens.* Quæ confirmat poſteà 2. 2. *quæſt. 9. art. 1.* unde hac opinione, quæ aliàs nullum fundamentum habet in Scriptura, nec donum Spiritûs Sancti eſt, nec gratiam ſequitur, cum altera de ſupernaturalitate vel ſubſtitit, vel ruit, dimiſſa

Dico: Theologia non eſt entitativè ſupernatura- 13
lis.

Prob. I. Omnis habitus aquiſitus generatur per frequentatos actus in ſua linea: ſed Theologia eſt habitus aquiſitus: ergò generatur per frequentatos actus in ſua linea; quales autem ſunt actus, talis eſt habitus: actus autem non ſunt ſupernaturales entitativè: ergò nec habitus. Maj. ſupponitur ex Philoſophia. Min. eſt S. Thomæ *cit. loco.* Maj. partis aſſumptæ eſt vera ab inſtantiis. Min. prob. actus eliciti quatenùs ſubſtant lumini naturali intellectûs non ſunt entitativè ſupernaturales, licèt aliquid ſupernaturale præſupponant: ſed actus Theologiæ (per quos ultimatò intelligo concluſiones) eliciuntur, quatenùs ſubſtant lumini naturali intellectûs: ergò non-

ſunt

ſunt entitativè ſupernaturales. Maj. prob. cõmuni exemplo: Omnis homo eſt riſibilis: ſed Chriſtus eſt homo: ergò Chriſtus eſt riſibilis. Iſta concluſio non elicitur propter *minorem*, quatenùs ſubſtat revelationi, ſed quatenùs riſibilitas eſt eſſentialiter connexa cum humanitate, & ſic cum Chriſto, poſitô, quòd ſit homo; cujus veritas ſolùm habetur per fidem. Nec exinde ſequitur, fidem concurrere per modum principii reſpectu dictæ Concluſionis, & conſequenter reddere concluſionem ſupernaturalem, & ſibi proportionatam.

Nam quamvis remotè habeat rationem principii, non tamen poteſt cõmunicare ſupernaturalitatem; quia ſupprimitur à principio proximo naturali, ſcilicet vi illativa intellectûs, quod

Declaratur: ſi præmiſſæ ambæ ſunt de fide, eas præparat fides intellectui, & in hoc ſenſu dicitur principium, ſed remotum; nam habitîs illîs præmiſsîs intellectus in ordine ad concluſionem inferendam eas diſponit in ordine, ſcilicet certâ figurâ, & modô, & ſubinde infert concluſionem vi nativa, éſtque principium proximum merè naturaliter tale· A fortiori ita diſcurres, ubi tantùm una ex præmiſsis eſt de fide. Nec

14 Dicas, intellectum per præmiſſas ſupernaturales elevari, & ſic cum illis tanquam principium ſupernaturale concurrere effectivè ad concluſionem, quæ, cùm debeat eſſe proportionata ſuæ cauſæ, neceſſariò eſt ſupernaturalis. Nam

Reſpondeo negando abſolutè antec. elevatio enim illa reſpectu intellectûs ſe habet extrinſecè, ſicut & præmiſſæ in ordine ad elevationem, quia nihil ſupernaturale intrinſecum intellectui imprimunt, vi cujus elevetur ad principium ſupernaturale.

Ur-

Urges: Juxta communem Philoſophorum præmiſſæ concurrunt ad Concluſionem in genere cauſæ: ſed non in genere cauſæ finalis, nec formalis, nec materialis: ergò in genere efficientis: ſed ita influentes reddunt concluſionem ſupernaturalem, & ſibi proportionatam: ergò faciunt & habitum ſupernaturalem, qui à concluſione ſupernaturali cauſatur. 15

Reſp. I. Licèt concurrerent in genere cauſæ efficientis, non tamen ùt ſupernaturales, ſed ùt naturalis, quatenùs procedunt à lumine intellectûs, qui ſupprimit illam ſupernaturalitatem; quia aſſenſus non fit ex virtute elevationis immediatè, ſed ex virtute illativa intellectûs propter connexionem concluſionis cum præmiſſis, ſupponentis tamen illas præmiſſas, ut naturaliter inferre poſſit. Hinc tamdiu nihil probatur de concluſione ſupernaturali, quamdiu non adſtruitur principium, elevans intellectum.

Reſpond. II. Juxta illa, quæ docui in Logica, præmiſſas propriè non concurrere ad concluſionem effectivè, ſed tantùm in genere cauſæ formalis extrinſecè determinantis intellectum ad concluſionem. Si ſubinde Ariſtot. & S. Thomas contrarium dicere videntur, explicandi ſunt in ſenſu improprio, & reductivô, quatenùs cauſam efficientem determinant. Sic omiſsîs etiam aliîs præmotio phyſica à Thomiſtis dicitur, eſſe in genere cauſæ efficientis, nec tamen propriè talis eſt; quia illa non agit in effectum cauſæ ſecundæ per influxum cauſativum, ſed tantùm excitat, determinat, & cauſam ſecundam reducit ab actu primo in ſecundum, totúsque influxus phyſicus provenit à concurſu ſimultaneo cum influxu cauſæ ſecundæ, quæ hodie eſt communis Thomiſtarum Sententia.

16 Prob. II. & Confirmantur dicta: Non obstante, quòd aliquæ veritates sint supernaturaliter notæ, potest tamen intellectus vi luminis naturalis inferre conclusiones cum illis connexas: ergò Theologia ex hoc capite non est entitativè supernaturalis. Antec. prob. in exemplo de Christo Domino: omnis homo est risibilis &c. ubi intellectus supposita veritate *majoris* naturaliter nota, & *minoris* per revelationem notæ, penetrat naturalem conclusionis connexionem cum præmissis.

17 Dices: ex hoc sequi, conclusionem illam: *ergò Christus est homo:* esse purè philosophicam, sicut esset in Syllogismo: *Omnis homo est risibilis: sed Petrus est homo: ergò Petrus est risibilis:* utraque enim solùm infertur propter necessariam connexionem risibilitatis cum homine.

Respond. negando sequelam; nam conclusio prior supponit minorem revelatam, in quam ultimatò resolvi debet; si enim negaretur, *Christum esse hominem*, recurrendum esset ad fidem, non in altera: *Petrus est homo:* quia naturaliter patet. A fortiori hoc contingit, ubi utraque præmissa est revelata. Responsionem colligo ex S. Thoma hìc *art. 5. in Corp.* ubi de Theologia ait: *Ista Scientia est principaliter de iis, quæ sua altitudine rationem transcendunt; aliæ verò scientiæ considerant ea tantùm, quæ rationi subduntur.* Illa minor: *Petrus est homo* rationi subditur, non altera: *Christus est homo.* Unde in *Tract. de Incarnat.* diximus conformiter S. Thomæ, nec possibilitatem Incarnationis potuisse lumine naturali cognosci.

Unde ut Mentem nostram explicemus, Theologia dependet à fide, ùt præbente veritates objectivas revelatas, ex quibus dein illa modô naturaliter discursivô ex vi intellectûs infert unum ex alio, & ob hanc rationem dicimus, Theologiam esse entitativè naturalem, quamvìs possit dici *antecedenter* supernaturalis, prout à fide,

fide, illiúsque principiis dependet *per se* etiam, ipsa tamen supernaturalitas tantùm est extrinseca, vel radicalis respectu propositionum supernaturalium, quas necessariò præsupponit. Sed ex his

Objicitur I. cum Magist. Ferre, & Cavino, quorum 18
verba restringo, & sensum teneo: assensus Theologicus juxta nos per se dependet ex radice supernaturali: ergò est intrinsecè supernaturalis. Prob. consequentia: dependere *per se* ex radice supernaturali, est esse *per se* connexum cum supernaturali: sed quod ita connexum, est supernaturale: ergò si Theologia est *per se* connexa cum fide, & præmissis revelatis, est intrinsecè supernaturalis.

Respondeo, conc. antec. nego consequent. ad prob. conc. Maj. nego min. in sensu Adversariorum; quia connexio illa, cùm sit extrinseca, non arguit habitum intrinsecè supernaturalem; nam fides cum præmissis suis, ùt diximus, non habet se per modum efficientis, sed tantùm ùt subministrantis principia. Dein quòd illa connexio non reddat habitum supernaturalem, & sic ejusdem secum ordinis, ostendo primò pro captu omnium: quamvìs Logica sit per se connexa cum intentionibus secundis, quas sub ratione formali, & objectivè considerat, non tamen habitus exinde fit solùm intentionalis, vel ens rationis, ùt nonnemo stolidè monstrare contendit ad suam ipsius confusionem.

Secundò Theologicè: quamvìs virtutes morales aquisitæ in ordine ad meritum per se dependeant vel ab influxu, vel ab imperio charitatis, entitativè tamen non sunt supernaturales: ergò multò minùs Theologia per illam connexionem extrinsecam, se tantùm per modum suppositionis habentem.

Objicitur II. principaliter: objectum Theologiæ est 19
DEUS ùt Author intrinsecè supernaturalis: ergò &

Theologia erit ſupernaturalis intrinſecè. Prob. conſequent. ſcientia ſeu habitus nequit eſſe ordinis inferioris objectô, à quo ſpecificatur; repugnat enim, quòd potentia vel habitus entitativè naturalis reſpiciat objectum ſupernaturale, tanquam ſibi proprium, & proportionatum: ergò quia Theologia pro objecto habet DEUM quà ſupernaturalem, eſt entitativè ſupernaturalis. Hoc argumentum eſt primarium, vocatúrque difficile ab illis Authoribus. Sed tamen

Reſpondeo conc. antec. nego conſequent. ad prob. diſtinguo antec. habitus nequit eſſe inferioris ordinis objectô, quod ùt tale *immediatè* reſpicit, transeat antec. quod *mediatè* reſpicit nego antec. & cauſalem adjunctam; poteſt enim habitus naturalis remotè reſpicere objectum ſupernaturale, & modô proximô naturale, ùt patet in Metaphyſica, quæ DEUM, in quo eſſe naturale, & ſupernaturale, ſeu ratio Authoris naturalis, & ſupernaturalis realiter identificantur, reſpicit modô merè naturalî; ſic proportione ſervata Theologia reſpicit quidem DEUM ſub ratione revelationis quoad præmiſſas, concluſionem tamen ex illis deducit modô merè naturali, & ſic ſpecificaretur ab objecto antecedenter, & remotè ſupernaturali, ſi ſpecificatio habitui propter rationem proximam merè naturalem cõmunicari poſſet. Verbo: Objectum Theologiæ tam *quod tale*, quàm *quô tale*, ſeu quoad rationem formalem *ſub qua* revelationis remotè eſt ſupernaturale, ſed reſpectu rationis formalis *ſub qua* proximæ merè naturaliter ſe habet, & hanc rationem formalem proximam illa prior connotat quoad concluſionem naturaliter inferendam.

20 Urgebis. Habitus exigens cauſari à cauſis ſupernaturalibus, non poteſt non eſſe ſupernaturalis: ſed Theologia petit cauſari à cauſis ſupernaturalibus ſcilicet ab aſſen-

sensibus fidei, qui sunt supernaturales; ergò est supernaturalis.

Respondeo ùt priùs conc. Maj. distinguo min. petit causari ab assensibus fidei immediatè nego, mediatè subdistinguo tanquam à causis effectivis nego, tanquam formalibus objectivè, vel purè determinantibus conc. min. & nego conseq. ratio patet ex dictis.

Instabis: juxta Philosophiam omnis conclusio legi- 21
tima continetur in suis præmissis, & ex illis immediatè deducitur: ergò præmissæ sunt causa proxima: causa autem proxima est supernaturalis: ergò & conclusio tanquam effectus.

Respondeo I. omnia argumenta AA. in id unum collimare, & si hoc respondeas, centies repetent aliô, & aliô modô, & tamen nihil efficient, nisi pro quavis conclusione Theologica confugiant ad aliquod auxilium supernaturale transiens, quod intellectum elevet, ac conclusionem supernaturalem inferat, quod Magist. Ferre tenet, & novissimè aliquis, sed profectò pauperum est hoc refugium; quia rationibus diffidentes ad auxilium Divinum recurrunt, quasi verò DEUS tam solicitus sit de conclusione Theologica, ut, cùm non aliter possit habere supernaturalem, eandem efficiat talem per auxilium, illis tantùm speciale, qui Theologiam volunt habere supernaturalem.

Resp. II. ad argumentum conc. ant. quoad unum in sensu explicato, quoad secundum distinguo, & ex illis immediatè deducitur modo tamen naturali conc. supernaturali nego, & simul consequentiam cum cæteris: datô enim, utramque præmissam esse de fide, & sic supernaturalem, diversa tamen intercurrit cognitio in homine fideli; nam præmissis assentitur ex motivo fidei, & sic ùt supernaturales attingit; dein ex vi intellectûs natura-

lis cognoscit, quid ex illis inferri possit propter connexionem, & ita infert, & sic ipsius illatio erit purè naturalis. In exemplo: quidquid dicit DEUS per revelationem, est de fide: sed DEUS dicit per revelationem, quòd Christus sit homo; jam utramque propositionem credo, & accepto: dein ex solo lumine intellectûs infero: ergò, quòd Christus sit homo, est de fide. Amabò quare ista illatio sit supernaturalis? Fortè quia continetur in præmissis? Hoc non, quia naturaliter etiam à diabolo, & Hæretico inferri potest. Si auxilium fortè emendicaveris à DEO, dabit tibi, sed ùt egenti eleemosynam.

ARTICULUS IV.

De aliquibus ad Theologiam pertinentibus.

22 EX priori conclusione, quòd Theologia entitativè supernaturalis non sit, dubium est, an non maneat in Hæretico? potest autem quæstio procedere de Hæretico, qui ùt talis doctus est Theologiam, ùt modò in Lutheranis Universitatibus contingit, vel de eo, qui olim Catholicus Theologus ad Hæreticos transiit.

Resp. I. ad primam quæstionem, talem Hæreticum non esse verum Theologum. Ratio est, quia talis non nititur principiis etiam remotis Theologiæ: ergò non est verè Theologus. Antec. prob. principia Theologiæ remota sunt principia fidei: sed in tali non est fides: ergò nec ipsius principia. Maj. suppono ex dictis. Min. prob. ex communi de fide principio: *qui delinquit in uno, reus est omnium*: sed talis in uno, imò in pluribus delinquit; cùm enim ratio prima fidei sit Authoritas dicentis infallibilis, quam ex principiis suprà assignatis deduximus, si in uno non movetur ad assensum, nec in altero movetur: ergò &c. pro cujus confirmatione sit exemplum: Lutheraa-

ranus credit in Christum, ejúsque passionem ùt satisfactoriam ad salutem nostram agnoscit, negat tamen, opera bona aliquid ad salutem conferre; cùm Christus ipse in Evangelio, Traditiones, Concilia, & SS. PP. opera bona requirant: ergò dum credit unum, nec credit sincerè alterum, aliàs ex eadem Authoritate sicut admittit unum, ita & alterum deberet agnoscere. Credunt ergò tales tantùm ea, quæ corporis, non animæ sunt.

Resp. II. ad secundum. Neque Theologum Apostatam esse verè talem. Ratio est assignata; quia talis semel relicto uno principio fidei, relinquit omnia, & sicut fides per contrarium deficit, ita & vera Theologia fidei principiis radicaliter innixa.

Nec dicas I. juxta nos, Theologiam esse habitum 23 acquisitum, & naturalem, consequenter haberi posse etiam ab aliis ex vi nativa intellectûs.

II. Theologiam juxta nos non oriri à fide, sed ab actibus intellectûs, naturaliter inferentis unum ex altero: ergò &c.

III. Theologiam non subordinari fidei, cùm fidem tantùm exigat pro hoc statu tanquam principia præparantem &c. plura fusè habet Vasquez, qui quidem conformiter ad sua principia loquitur; nam hìc *disput. 1. c. 3. & disput. 7. & cap. 4.* ait, quòd sive principia Theologiæ sint credita, sive infusa, sive fide humana, assensus Theologicus semper sit idem specie. Insuper superiùs docet, Theologiam vel esse solam fidem acquisitam, vel habitum purè opinativum, quòd defenderem libenter, sed ex aliis ab ipso principiis, si liceret.

Resp. ad primum, & secundum simul, Theologiam esse habitum acquisitum, & actibûs intellectûs naturaliter inferentibûs generari, sed tamen quamvìs non immediatè

tè oriatur ex actibus fidei, eosdem essentialiter præsuppo-nere juxta superiùs dicta.

Ad tertium dico, Theologiam pro hoc statu aliqualiter subordinari fidei, quatenùs ex ea illa principia desumit, & suas conclusiones mediatè saltem deducit; & hoc patet ad hominem contra illos, qui Theologiam ideò dicunt subalternari scientiæ visionis, quatenùs sua principia in alterius pro alio statu NB. clarè & evidenter resolvit: ergò etiam subalternatur fidei pro statu obscuro; quia suas conclusiones in illius principia obscura ultimatò resolvit.

24 Quæres II. An Theologia sit verè & propriè subalternata scientiæ Beatorum? in hoc plus quæritur de nomine, quàm re, dum alii has, alii alias conditiones ad subalternationem requirunt. Proin

Respondeo, Theologiam subalternari scientiæ Beatorum quoad principia, quod aliàs primariò requiritur ad subalternationem. Declaratur: habitus, qui sua principia resolvit in principia Superioris, secundùm hoc dicitur subalternatus: hoc autem facit Theologia respectu visionis; cùm enim principia non habeat per se nota, recurrit ad principia subalternantis evidentia: ergò quoad principia subalternatur scientiæ Beatorum. Ex quibus juxta dicta duplicem in Theologia subalternationem saltem impropriam habes primò quoad fidem pro hoc statu juxta dicta: secundò quoad visionem pro altero statu; cúmque Theologia pro hoc statu nunquam possit conjungi cum principiis alterius statûs, apertum est, non esse subalternationem propriam, qualis e. g. Musicæ est respectu Arithmeticæ, vel Logicæ apud me, respectu Metaphysicæ, quæ in eodem subjecto stare possunt prout tales, quod requiritur ad propriam subalternationem.

Di-

Dices Theologiam noſtram manere in Patria, & cum 24
viſione continuari, ſicut omnis habitus ſubalternatus petit conjungi cum ſubalternante, conſequenter poſſet manere in eodem ſubjecto cum viſione.

Reſpondeo I. juxta alios, Theologiam manere ſolùm in Patria quoad ſubſtantiam, non quoad modum, conſequenter quà talem, & ſub ea ratione ſcilicet revelationis non poſſe continuari cum viſione clara, & evidenti. Nec obeſt, quòd in Patria maneat idem objectum, ſcilicet DEUS ſub ratione Deitatis, & ùt ſubſtans virtuali revelationi, ùt arguit Reverendiſſimus Lendlmayr hìc in *Theſibus à num. 29.* quatenùs etiam Beati deducunt concluſiones, ex principiis formaliter revelatis, quamvìs non revelatione obſcura. Nam ſi Theologia maneret etiam quoad modum, deberet objectum manere obſcurum, ùt modò, quod falſum eſt, cùm pugnet cum lumine viſionis; an verò Beati ex principiis revelatis, ſed non obſcuris concluſiones deducant, valdè dubium eſt, ſi non paradoxum; quid enim hoc eſt, deducere concluſiones ex principiis revelatis, non obſcuris, cùm revelatio ex natura ſua ſit obſcura? Interim ſubſiſtit hoc, Theologiam totaliter non manere in Patria, qualiter ſe habet modò in via.

Reſpondeo II. ſuſtineri poſſe, quod etiam diſputationis gratiâ facimus, Theologiam nec quoad ſubſtantiam manere in Patria; ſi quæras cum Adverſariis, quid ergò petat deſtructionem Theologiæ? Reſpondeo ipſam repugnantiam, obſcuritatem, ſe ex parte principiorũ tenentem in hac via, & evidentiam in viſione, ſcilicet ex notitia principiorum provenientem, ita ut non poſſit idem niti principiis *obſcuris*, & *evidentibus* circa idem; quod expreſſit Apoſtolus *1. Corinth. cap. 13. v. 8.* ubi charitati permanentiam concedit: *Charitas nunquam excidit*: fidei, aut

ſpei neutiquam ; nam *v. 10.* ſubjungit : *cùm autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt* ; quòd autem loquatur de fide, patet ex v. 12. *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate &c.* hoc ſpeculum, & ænigma eſt fides, quæ evacuabitur per viſionem à facie ad faciem, ergò & noſtra Theologia, quæ principiis fidei innititur.

25 Dices : quare ergò juxta nos Theologia recurrit ad principia ſubalternantis evidentia, ſi ſtare non poteſt cum illa ? Reſpondeo nos ſolùm velle, quòd Theologia ſua principia obſcura referat ad ſuperioris ſcientiæ evidentia, quatenus ibi clarum eſt, quod modò obſcurum ; ſic ſuô modô fit in fide, quæ principia revelata remittit ad clara, & ænigma ſuum ad viſionem à facie ad faciem, ſervato diſcrimine, quòd fides non procedat modô ſaltem formaliter diſcurſivô, neç vi naturali inferat ex revelatis concluſiones, quod tamen utrumque habet Theologia.

Si autem velis, ſolum habitum entitativè talem munere ad ornatum Beati, & gloriam quandam accidentalem, nobis non officies; quia entitatem habebis mortuam, non formalem Theologiam, & idem poteris dicere de fide, & ſpe. Sed

26 Inſtat vehementer Magiſt. Cav. I. poſt Magiſtros Ferre, & Serra hìc *diſp. 1. Quæſt. 3. §. 2.* in quem incidi, & ſic arguit juxta S. Thomam *1. 2. quæſt. 67. art. 2.* virtutes intellectuales manent in Patria : ergò cùm Theologia ſit principalis inter illas, à fortiori manet in Patria.

II. *cit. loc. quæſt. 68. art. 6.* idem de donis Spiritûs S. ſcilicet ſcientiæ, & ſapientiæ &c. aſſerit : ſi autem excludenda eſſet Theologia, pariter deberent excludi dona illa ex eadem ratione, per quam vult evertere ſententiam ſibi contrariam ſic : in tantùm Theologia noſtra non manet cum lumine gloriæ ; quia in ìllis eſt diverſitas principiorum in una fides pro hac via, lumen gloriæ in altera :

ſed

ſed hæc ratio militat etiam de donis, cùm modò regulentur per fidem, & in Patria habeant claritatem, & evidentiam, & ceſſabit fides: ergò ſi nihilominùs juxta S. Doct. perſeverant dona, poterit etiam perſeverare Theologia, non obſtante diverſitate utriusque luminis fidei, & luminis gloriæ, quia lumen fidei eſt in via tantùm ſuppletivum viſionis, aut accidens ratione ſtatûs.

Confirm. I. Theologia licèt modò actu non videat clarè, poteſt tamen videre: ergò poteſt continuari cum viſione. Prob. conſequentia: poſſe videre, & actu non videre non opponuntur in habitu: ergò ſi contingat impediri ab actu ratione ſtatûs, non tamen amittit poſſe videre.

II. Poteſt aliquis habitus ex conditione accidenta- 27
li ſubjecti habere aliquod prædicatum, & mutata meliùs ea conditione recipere oppoſitum, ut patet in habitu charitatis in via, qui ob flexibilitatem arbitrii modò eſt amiſſibilis, & tamen in Patria inamiſſibilis fit: ergò &c. plura alia omitto, quæ ex reſponſione ad iſta ſolvi poſſunt.

Ante reſponſionem notandum eſt, quòd dependentia à fide, ſeu exigentia fidei in Theologia ſit prædicatum juxta nos intrinſecum, & conſequenter etiam inevidentia exinde proveniens, realiter intrinſecè diſtinguatur ab habitu evidenti. Hinc

Reſpondeo ad I. S. Thomam ſolùm dicere, virtutes intellectuales manere in Patria, quantum ad ſpecies intelligibiles, & ſic ſecundùm quid, non verò totaliter, ùt erant in via, ubi etiam dependebant à phantasmate; hinc *cit. loc. in Corp.* ait: *unde quantum ad phantasmata, quæ ſunt quaſi materialia in virtutibus intellectualibus, virtutes intellectuales deſtruuntur, deſtructo corpore.* Ex iſtis nihil probatur contra nos; quia ſpecies non habent oppoſitionem ullam cum viſione, ſicut Theologiæ obſcuritas cum evidentia in viſione.

Ad secundum Resp. S. Doct. *cit. loc.* tantùm admittere, dona Spiritûs Sancti manere quoad essentiam, seu substantiam; quia in *Corp.* ait: *dona Spiritûs Sancti perficiunt mentem humanam ad sequendam motionem Spiritûs Sancti, quod præcipuè erit in Patria, quando DEUS erit omnia in omnibus, ut dicitur 1. ad Corinth. 15. & quando homo erit totaliter subditus DEO.* Et statim subjungit, quòd secundùm materiam operationes non maneant, cùm ibi non habeant operationem circa aliquam materiam. Quæso, quid ex istis potest contra nos, etiam violenter expungi?

Ratio adjuncta est nulla; quia principia donorum, non sunt principia fidei, sicut Theologiæ, sed motio Spiritûs Sancti, quæ quidem supponit fidem in subjecto; nam infidelis incapax est donorum; non verò ex illius principiis quà talibus aliquid deducit immediatè. Legatur S. Thomas *cit. loco.* Et patebit inanitas argumenti.

Ad Confirmat. primam nego antec. út jacet, quia Theologia nihil videbit in Patria, sed ei succedet visio, à qua evacuabitur; sicut malè diceres, fides actu non videt, potest tamen videre aliquando, tunc scilicet, quando ampliùs non erit fides? hinc vanum est alterum, posse videre, & non actu videre, non opponuntur in habitu; nam transmissô hôc, priùs ostendendum est, an Theologia possit videre, cùm ipsius actus secundus pugnet cum ejusdem permanentia.

Ad secundum conc. antec. quoad prædicatum accidentale; nam hoc non immutat substantiam; homo enim albus ex conditione subjecti talis, potest recipere pro alia dispositione subjecti alium colorem sine mutatione essentiali, sed quid inde sequitur? In Theologia non esset mutatio accidentalis, sed essentialis, & specifica, de obscuro transire in clarum: vel de non scire ad scire: nulla scientia tractat probabilia, sed ea pertinent ad Topicam.

In-

Instantia de habitu charitatis est contra Adversarios. Nam cùm omnis habitus sit difficulter mobilis exigit perpetuitatem, si verò movetur, fit à contrario, ratione subjecti mutabilis, & sic tota amissibilitas ipsi obtingit à subjecto, ùt charitati fit in via, & inamissibiliter in Patria, nihil intrinsecè adveniente ipsi charitati.

Tertium dubium est, an Theologia sit speculativa, 28
& in quo sensu aliis scientiis, certior? Ex Philosophia juxta communem doctrinam fermè certum est, non posse in eodem habitu convenire speculativum, & practicum propter diversos utriusque fines; quia scientiæ quà talis finis est veritas, & habitus practici finis est opus, seu operatio, quæ juxta me, quamvis sit opus internum, nec alterius potentiæ ab intellectu distinctæ, tamen est praxis; modò sit finis habitus: & in eo sensu defendi, logicam esse practicam propter artificium, etiam intra solum intellectum existens, sed Theologia transit etiam ad voluntatem ab intellectu distinctam, ut proin de praxi nulla sit difficultas; insuper nos non afficit ratio scientiæ, quam negamus Theologiæ, ut proin quoad hoc punctum nulla nos urgeat contradictio.

Sed tamen quia S. Thomas hìc *quæst. 1. art. 4.* clarè docet, Theologiam esse simul speculativam, & practicam, dubium est, in quo sensu? pro quo suppono ex dictis, DEUM quà talem esse objectum, qui sicut est prima veritas, ita est ultimus finis, consequenter prima regula speculationis, & praxis. Unde

Respondeo ad mentem S. Doct. Theologia est emi- 29
nenter practica, & simul speculativa.

Prob. habitus universalis, qui se extendit ad ea, quæ ad diversas scientias pertinent, sub ratione formali una, sub qua illa omnia attingit, scilicet quatenùs Divino lumine cognoscibilia sunt, potest continere rationes in in-

ferioribus disciplinis oppositas : sed talis est Theologia; ergò potest esse simul speculativa, & practica. Maj. est S. Thomæ *cit. loc.* Min. prob. ex eodem in *Corp.* *Unde*, ait, *licèt in scientiis Philosophicis alia sit speculativa, alia practica, sacra tamen Doctrina comprehendit sub se utramque.* Quod verò hoc proveniat ex universalitate, ad quam se extendit Theologia, ex paritate, quam S. Doct. adducit, elucet: *sicut & DEUS eâdem scientiâ se cognoscit*, quod est speculativum, *& ea, quæ facit*, quod pertinet ad practicum. Subjungit tamen : *magis tamen est speculativa, quàm practica, quia principaliùs agit de rebus Divinis, quàm de actibus humanis.* Totum argumentum videtur subsistere in illo principio: quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt adunata in superioribus, ùt patet ex instantiis Philosophicis; sic quia intellectus est potentia universalis, potest diversos habitus etiam oppositos in se recipere, & mediantibûs illîs tendere in objecta diversa, quia & sibi relictus potest in verum & falsum tendere, & quidem juxta me in falsum quà tale, & sub ratione veri semper, subjacet enim applicationi voluntatis liberæ, quamvìs de se tendat in objecta sub ratione veri.

30 Resp. II. juxta S. Thomam posse facilè defendi Theologiam esse ultimatò tantùm speculativam ; quia juxta ipsum beatitudo nostra essentialiter formaliter consistit in visione, quæ est speculativa, & consecutivè practica, quatenùs amorem infert.

Prob. hoc ex *cit. loc. in Corp.* ad finem, nam post illa, *quæ de actibus humanis*, addit, *de quibus agit secundùm quod per eos ordinatur, homo ad perfectam DEI cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit*, ex quo sic argumentor : in tantum denominatur habitus absolutè, & simpliciter speculativus, in quantum omnia, quæ tractantur, in illo ultimatò ordinantur ad cognitionem veritatis, in qua quiescit: sed hoc

fit

fit in Theologia : ergò eſt ſimpliciter ſpeculativa. Maj. Philoſophicè eſt certa, min. eſt S. D. & aliàs patet ; nam actus humani proximè in ſe practici , ultimatò tales non ſunt , quia ordinantur ad cognitionem veritatis , ſicut in diſciplinis Mathematicis , ùt in Aſtronomia , quæ conficit tubos , in Geometria , quæ facit inſtrumenta , & in Arithmetica , quia tamen omnia ordinantur ultimatò ad cognitionem veritatis , illi habitus ſunt ſimpliciter ſpeculativi.

Reſpondeo juxta ſententiam illorum æquè probabi- 31
lem , qui beatitudinem eſſentialiter completam in amore, ſeu poſſeſſione ſummæ Bonitatis , tanquam ultimi finis collocant , defendi poſſe Theologiam eſſe ultimatò practicam ; quia cùm Theologia ordinetur ex ſe ad beatitudinem hominis , ideóque omnia etiam , ſpeculationes de DEO , actus humani &c. ordientur ad finem ultimum ; finis autem ultimus ſit poſſeſſio ſummi Boni , actúsque à potentia intellectiva diſtinctus , & hoc ipſo practicus , Theologia erit ultimatò practica.

Nec obeſſet S. Thomas , eam principaliter vocans ſpeculativam ; hoc enim ſolùm accipiendum eſt quoad tendentiam Theologiæ in finem ultimum , in qua & ſpeculationes & praxes ſunt , non quoad finem ipſum ultimum. Inſtantiæ ſunt ex aliis aſſignatæ, quod placuerit, elige.

Ad alteram quæſiti partem reſpondeo breviter , cer- 32
titudinem juxta communem videri majorem , quàm ſit in ſcientiis per rationem habitis. Ita docere videtur Sanctus Thomas *2. 2. Quæſt. 4. art. 8. ad 2. homo certior eſt de eo, quod audit de DEO , qui falli non poteſt.* Sed ex hoc loco nihil probatur ; quia S. Thomas aliter loquitur in *Corp.* & ſicut ibi de fidei certitudine quærit , ita ex eo argumentum

tum ſumendum eſt pro Theologia: hinc notandum eſt, aliam certitudinem eſſe objectivam, aliam ſubjectivam; hinc dico, certitudinem objectivam in fide & juxta nos in Theologia eſſe majorem, quàm in aliis Scientiis, ſcilicet propter certitudinis cauſam, unde ait S. Thomas *cit. loc. in Corp. hoc modo fides eſt certior aliis*, ſcilicet de quibus dixit anteà nempe de ſcientiâ, & ſapientia, ac intellectu. Ratio ipſius eſt, quia fides innititur veritati Divinæ: tria autem prædicta innituntur rationi humanæ: ſubjectivè autem fides non eſt certior: ergò nec Theologia; quia ùt ait S. Doct. *quia tamen, quæ ſunt fidei, ſnut ſupra intellectum hominis* - - - hinc infert: *ideò ex parte fides eſt minùs certa*: & demum concludit: *fides eſt ſimpliciter certior, ſed alia ſunt certiora ſecundùm qnid, ſcilicet quoad nos*: ergò fides tantùm certior eſt quoad ſe, & *objectivè*, non *ſubjectivè*, & quoad nos. Idem dicimus de Theologia, ſicut anteâ de ratione ſcientiæ, diximus

QUÆSTIO II.

QUæſtione priori diſcuſſimus ea, quæ aditum aperiunt ad interiora S. Doctrinæ arcana, & hæc modò tentabimus, dum DEUM quoad ſe & *ad intra* pro tenuitate noſtra conſiderare piè præſumimus, firmati illo *Sap. 13. v. 1.* ſtatim allegando: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Scientia DEI.* Pro quo ſit

ARTICULUS I.

An poſſit Exiſtentia DEI ſolo lumine naturali cognoſci?

33 DIximus *num. 1.* DEUM poſſe via naturali cognoſci, quatenùs per concluſiones, ex effectibus ejusdem de-

deductas, ascendere possumus ad DEUM, ita, ut effectus se habeat per modum principii, atque ex hoc *cit.* illo textu Apostoli, quem desumpsisse videtur ex Sapientiæ *cap. 13. v. 1.* ubi: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest Scientia DEI, & de iis, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum,* NB. *qui est. Neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex &c.* Dein arguit Sapiens omnes idololatras, qui ignem, vel aërem aut solem, vel lunam, aut aquam Deos esse putaverunt, & concludit: *à magnitudine enim speciei; & creaturæ cognoscibiliter Creator poterit horum videri.* Atque ideò Apostolus *cit. loc.* inexcusabiles asserit, quod de Hebræis certum est; nam *Deut. 4. v. 19.* ipsis prohibetur: *Ne fortè elevatis oculis videas Solem, & Lunam, & omnia Astra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus DEUS tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt.* Sed cùm ipsi aliàs habuerint existentiam unius DEI revelatam, & vel ideò inexcusabiles fuerint, non poterit argumentum duci ab illis ad alios, qui talem revelationem non habent, sed soli intellectui relicti, cujus virtute ex effectibus naturalibus tantùm poterant in cognitionem DEI venire, seu in ens unum, à quo cætera proveniunt, & hoc ipso dependent.

Dico I. Potest DEUS à quovis sanæ mentis solo lu-34
mine naturali cognosci. Conclusio est universalis ex textu S. Scripturæ, quia nemo potest esse inexcusabilis, qui jure reprehenditur: sed ignorantes DEUM reprehenduntur, quia dicuntur *vani*, & ab *Apost. inexcusabiles &c.* quales non essent, si non possent via naturali devenire in notitiam DEI.

Prob. ratione ex fine hominis naturali, de quo agimus modò: homo ex ipsa creatione est ordinatus ad cognitionem, & amorem sui Creatoris; ergò debet posse

solîs viribûs naturalibûs DEUM cognoscere, & amare. Consequentia tenet ex antec. aliàs illa ordinatio esset frustranea, ubi consecutio finis non esset possibilis. Antec. prob. non potuit DEUS aliter ordinare hominem, quia non potest non velle suam gloriam, quæ per cognitionem sui mediantibûs creaturis, & per amorem, adorationem, & timorem acquiritur, unde *Psal. 18.* dicitur: *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum.* Ad quod accomodè S. August. *lib. 10. Confess. cap. 6. Cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, ecce! undique mihi dicitur, ut te amem.*

35 Dices: ex hoc tantùm probari DEUM cognosci posse confusè sub aliquo prædicato communi e.g. *Boni*, & ultimi finis, seu beatitudinis naturalis: sed hoc non est simpliciter cognoscere, DEUM esse. Maj. exinde est, quòd naturaliter feramur in bonum, & beatitudinem tanquam finem. Min. prob. nam diversa olim erat opinio boni, & beatitudinis, & fortè adhuc multorum; nam aliqui posuerunt beatitudinem in divitiis, alii in honoribus, multi in voluptatibus scilicet turpes Epicuri de grege porci: unde dicit August. in Enchirid. *cap. 86. Beati esse volumus, miseri esse non solùm nolumus, sed neque velle possumus*, scilicet appetimus omnes bonum, sícque consequi studemus, miseriam verò non possumus appetere, quia bona non est, & vel ideò extra sphæram appetitûs nostri. Hæc aliáque plura tam eleganter, quàm acutè pertractat Boëtius *de Consolat. Philosophiæ*, qui dignus est lectione non una vel propter solam styli elegantiam.

Respondeo hæc non officere conclusioni; id enim solùm volumus, posse solius viribûs naturæ cognosci DEUM, sed non statim ab initio, & ab omnibus, sed successivè per discursum à creaturis ascendendo &c. & hoc ab aliquibus saltem: quis enim id statim requirat ab homine

mine barbaro, vel in sylvis enutrito, qui nihil à parentibus, vel aliis audivit de existentia DEI? quid? si insuper sit obtusi intellectûs, nihil satis percipere valentis, & in sola delectabilia ruentis, ùt etiam nostrîs temporibûs experimur? atque hos non afficit illa reprehensio Sapientis & Apostoli, sed illos, qui sano intellectu prædíti non laborant, ex creaturis DEUM cognosere; & licèt textus sint universales, intelligendi tamen sunt in sensu accommodo, aliàs absurda sequerentur.

Ex his inferes, hominem barbarum, vel in sylvis 36
enutritum, sicut excusari potest à cognitione DEI explicita, ita ab illius dilectione explicitè tali, etiam ùt Authoris naturæ excusari. Ratio est ex antecedentibus; sicut excusatur à cognitione DEI explicita, ita ab illius amore, qui cognitionem supponit juxta commune principium: *ignoti nulla cupido*: non tamen excusatur ab obligatione amoris implicitè talis, quatenùs ille amor continetur in amore boni honesti in communi, & in proposito vivendi secundùm rectam rationem, ad quod tenetur homo ratione præditus ex ipso lumine naturæ, quod signatum est super nos; & si negligatur incurritur peccatum.

Dices, ex his manifestè sequi, quòd possit dari actus 37
humanus rectæ rationi disconveniens, quin sit offensa DEI, & pœnâ æternâ dignus: sed hoc est damnatum ab Alexandro VIII. quia coincidit cum peccato Philosophico: ergò hæc dicta non subsistunt. Maj. patet ex dictis, & ex ratione; quia tale peccatum non potest esse offensa DEI, qui ignoratur, nec puniri in homine ignorante. Min. prob. ex natura peccati Philosophici, *quod est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi &c.* NB. *quamvis grave in illo, qui DEUM vel ignorat,* NB. *vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa DEI &c. neque æternâ pœnâ dignum.* Hoc totum sequi-

tur ex *inferes*, consequenter peccatum illud, quod est tantùm contra dilectionem DEI implicitam est merè Philosophicum. In hoc est vis adversæ Sententiæ.

38 Respondeo I. negando sequel. Maj. & ejus prob. unde nego min. ad prob. conc. anteced. nego consequent. nam licèt DEUS ignoraretur explicitè, non tamen implicitè, quatenùs est regula prima omnis rectitudinis moralis, in qua saltem confusè cognoscitur; éstque impossibile, ut homo intelligat aliquod facinus quà repugnans naturæ, & honestati rationali, quin saltem in confuso advertat ejusdem cum naturali beatitudine repugnantiam, & hoc etiam admittit Illustrissimus Reding hìc *quæst. 2. art. 1. à num. 20.* quamvis aliàs contrarius.

Respondeo II. posse committi grave peccatum, & puniri pœnâ æternâ stante infidelitate purè negativa, ubi DEUS invincibiliter ignoratur, quod deduco ex S. Tho. 2. 2. *quæst. 10. art. 1.* ubi in *Corp.* ait: *qui autem sic* (scilicet negativè) *sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.* Ex quo sic: in infideli negativè tali est pura ignorantia DEI explicita, & tamen potest à tali committi peccatum, propter quod damnatur: ergò nunquam datur peccatum grave quod non est simul offensa DEI, & reatus ad pœnam æternam: ergò sufficit cognitio DEI implicitè talis, quam omnes ratione utentes habent. Nec opus est in gravi peccato, ut aliquis se explicitè avertat à DEO, qualiter fit per Odium DEI, ùt docet idem S. Thom. *cit. loco quæst. 34. art. 2. in Corp.* ubi ratione aversionis, & sic etiam offensæ alia peccata distinguit ab odio in hoc: *in aliis peccatis, puta cùm aliquis fornicatur, non avertitur à DEO secundùm se, sed secundum aliud, in quantum scilicet appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam aversionem à DEO.* Sic & nos dicimus, talem,

qui

qui negligit ductum, & dictamen rationis, atque objecto delectabili adhæret, non averti à DEO secundùm se, sed secundùm aliud, scilicet inordinatam delectationem, quæ habet annexam aversionem à DEO.

Dico II. DEUS etiam ùt Author supernaturalis in- 39
hoc statu elevationis potest ab aliquibus invincibiliter ignorari. Est contra communem Thomistarum. Sed

Prob. ex S. Thoma *cit. 2. 2. quæst. 10. art. 1.* Potest DEUS aliquibus justè denegare notitiam sui, quæ inter auxilia sufficientia ad salutem est primum: ergo potest dari invincibilis ignorantia DEI ùt Authoris supernaturalis, de quo agit ibi S. Doct. ex professo. Prob. Antec. ex *Corp. si autem accipitur* (scilicet infidelitas) *secundùm negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi Parentis consecuta est.* Ergò potest DEUS in pœnam denegare notitiam sui, & sic permittere infidelitatem purè negativam, quâ semel admissâ, potest ab aliquibus invincibiliter ignorari. Quòd verò hæc ignorantia sit invincibilis, ex eo certum est, quòd nec supponatur auxilium ullum transeunter elevans, ut adeò talis sit excusabilis, nec juxta S. Thomam damnetur.

Dices: S. Doct. *quæst. 14. de fide art. 11.* ubi inquirit, 40
an necessarium sit aliquid explicitè credere, hoc sibi objicit de homine in sylvis enutrito, qui nihil de fide audivit, & Respond. *quòd si talis ductum rationis sequatur in appetitu boni, & fuga mali, certissimum est tenendum, quod ei DEUS vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, ùt habetur in actibus Apostol. cap. 10.* ex quo textu fit argumentum: non potest dari invincibilis ignorantia DEI cum inspiratione illa interna, vel cum prædicatione: ergò nunquam potest DEUS jux-

ta S. Thomam invincibiliter ignorari. Prob. antec. vel talis inspirationem admittit, aut prædicatorem audit, vel non? si primum: potest pervenire in notitiam DEI. Si peccabit non admittendo, vel prædicatori non assentiendo, & sic non erit infidelis purè negativè, & inculpabiliter.

41 Respondeo I. S. Thom. loqui hìc mitiùs, quàm in SUMMA, ídque ex Providentia DEI universali deducere, quatenùs cuivis de necessariis ad salutem providet, nec tamen exinde aliquid probari potest contra ignorantiam DEI invincibilem. Nam

Respondeo II. textum favere nobis, proin sic argumentor: talis homo ductum rationis sequens consequetur illustrationem internam, aut prædicationem externam: ergò antecedenter, dum sequitur ductum rationis, non cognoscit DEUM ùt Authorem supernaturalem; quia inspiratio interna, vel prædicatio primum sequitur honestam vitam in linea naturali: ergò antea invincibiliter ignorat DEUM ùt Authorem supernaturalem, consequenter talis ignorantia saltem datur ad aliquod tempus; atque hoc patet ab exemplo Cornelii, qui erat centurio inter milites Romanos, multáque beneficia Judæis contulit, ut denique Petrus fuerit missus, qui eum veritatem doceret, quod & fecit, atque Cornelium cum suis baptizavit. Utique Cornelius aliquando ignoravit Christum, & quidem inculpabiliter? aliàs non fuisset missus Petrus, ut ignorantiam tolleret: ergò saltem per aliquod tempus potest DEUS invincibiliter ignorari.

Confirmatur Conclusio ex Apost. *Rom. 10. à v. 14.* ubi ignorantiam Christi refundit in defectum prædicationis: *quomodò credent ei, quem non audierunt, quomodò autem audient sine prædicante?* Ergò sicut Christus potest ignorari sine prædicatione, ita & DEUS, atque hoc inculpabi-

biliter, ùt Christus ipse profitetur Joan. 15. v. 22. *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ex quo sic: Judæi ignorantes Christum peccatum non habuissent ipsum non agnoscendo, nisi venisset, & prædicâsset, quia ignorantia fuisset invincibilis: ergò etiam alii, quibus nemo existentiam DEI ùt Authoris supernaturalis prædicat, peccatum non habent, quia ignorantia est invincibilis; cùm ex cognitione creaturarum non possint ascendere ad DEUM ùt Authorem supernaturalem.

Nec repetas ex S. Thoma, DEUM saltem tales per inspirationem internam illustrare. Resp. hoc piè credi posse, non autem probari; potest enim propter peccatum originale DEUS relinquere in massa damnationis, sicut relinquit infantes sine Baptismo decedentes, qui saltem patiuntur pœnam damni, quamvìs non pœnam sensûs, cùm peccatum personale non habeant. Dein quod diximus, DEUS juxta S. D. non statim illuminat, sed postquàm benè vixerint, ductum rationis sequendo; priùs ergò habent ignorantiam invincibilem, & si morerentur in illo statu, nec salvarentur, nec damnarentur simpliciter, sed instar infantium essent, quidquid dein DEUS de illis statuerit.

ARTICULUS II.

Respondetur Argumentis sententiæ adversæ.

OBjicitur I. juxta S. Thomam *1. 2. quæst. 89. n. 6.* ubi42 non admittit, quòd peccatum veniale posset stare cum solo originali ex ratione; quia ante usum rationis peccare non potest propter defectum discretionis, scilicet boni à malo, cùm verò usum rationis habere inceperit, *primum*, ait S. Doct. in *Corp.* *quod tunc homini co-*

gi-

gitandum occurrit, est, deliberare de se ipso, & siquidem se ordinaverit ad debitum finem, & per gratiam consequetur remissionem originalis peccati: si verò non ordinet se ipsum ad debitum finem, secundùm quod in illa ætate est capax discretionis, peccat mortaliter, non faciens, quod in se est. Subin infert S. Thomas, non posse in tali esse solum veniale sine mortali. Ex quo Magistri Carvinus, & Ferre, ac alii argumenta deducunt efficacia, quorum substantiam constringo: juxta S. Doct. homo in primo instanti usûs rationis tenetur sub gravi peccato elicere actum charitatis DEI super omnia: sed stante ignorantia invincibili non potest elicere talem actum: ergò illa obligatio non potest stare cum ignorantia DEI, quomodò enim diliget, quem ignorat? Maj. est S. Thomæ, quia se ordinare ad debitum finem, est finem illum super omnia diligere.

Confirmatur: ipsa Providentia universalis requirit, ut DEUS det sufficientes vires ad impletionem præcepti, aliàs præciperet impossibilia: sed inter vires sufficientes primariò se habet cognitio DEI: ergò DEUS tenetur subministrare medium, vi cujus homo possit devenire in cognitionem, & subinde in amorem.

43 Nec admittunt, si dicas, hominem in instanti rationis debere sequi ductum rationis, & sic intendere finem honestum, & in illo DEUM implicitè amare, donec altiùs successivè ascendat, & demum habitâ ampliori notitiâ eliciat amorem super omnia ex viribus naturæ, quod si fecerit, ei DEUM inspirationem internam supernaturalem cum auxilio communicaturum, ut possit etiam, amare DEUM in linea supernaturali. Nam

Insurgunt contra: Illuminatio directiva in DEUM, est directiva in ipsum, ut efficaciter super omnia diligendum; vult enim DEUS conversionem ad se tanquam ultimum finem, ùt ipse S. Thomas *cit. loc. ad 3.* requirit,

dum

dum ait : *& ideò hoc est tempus* (scilicet instans rationis) *pro quo obligatur ex DEI præcepto affirmativo, quo Dominus dicit : convertimini ad me , & ego convertar ad vos.* Zach. 1. quod non fit per nudam intentionem honesti ùt sic, & per propositum rectè vivendi juxta rationem, in quo etiam creatura involvitur : ergò requiritur intentio in ipsum DEUM super omnia diligendum , per quod excluditur amor implicitè talis. Maj. prob. DEUS primitias ab homine requirit , quatenùs præcipit conversionem primam ad se, sicut in articulo mortis requirit dilectionem sui: hæc autem non impletur per solum amorem honesti, & sic DEI implicitum : ergò nec impletur in exordio vitæ rationalis , nisi per actum formaleni dilectionis.

Respondeo ad argumentum ex S. Doct. deductum. 44 Disting. Maj. homo tenetur sub gravi &c. elicere actum charitatis DEI super omnia implicitè semper conc. Maj. explicitè subdist. si habet sufficientem DEI cognitionem, virésque ad dilectionem proportionatas conc. secùs nego Maj. & in hoc sensu conc. min. & consequentiam. Volo hoc , obligationem illam esse ordinariam, non tamen urgere hominem impotentem, qualis est ille, in quo DEUS propter Originale admittit ignorantiam sui, quæ non est peccatum juxta S. Th. suprà citatum : ergò non amando, quod ignorat , non peccabit , cùm amare in tali statu sit impossibile. Iterum S. Thom. ibi allatus supponit, quòd aliquis post usum rationis sequens ductum ejusdem in appetitu boni, & fuga mali non peccet statim non amando ; aliàs si peccaret, & quidem graviter juxta AA. DEUS per internam inspirationem non revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria nec fidei prædicatorem ad eum dirigeret , utpote indignum hâc gratiâ propter peccatum grave. Dein sequendô etiam ductum rationis non est amare DEUM explicitè : non habent ergò AA.

quod jactent Authoritatem S. Thomæ, quem alibi negligunt. Ne autem videatur sibi contradicere, conciliandi sunt textus, pro quo juvabit, instans illud primum rationis *moraliter*, non *physicè* sumere, ut sensus sit, quod homo habens sufficientem DEI cognitionem, ad quam aliqui successivè perveniunt, teneatur DEUM *explicitè* amare ùt Authorem naturalem, ùt supernaturalem verò, si habita cognitione acceperit illustrationem, aut Prædicationem, secùs non, propter impossibilitatem.

Ad Confirmat. concedo totum discursum, si DEUS amorem explicitum sui respectu omnium absolutè præcipiat, nego autem, quòd ita sit; hinc sustineo responsionem suprà datam. Nec evertimur per argumenta Adversariorum. Nam dist. Maj. vis directiva in DEUM est directiva in ipsum ùt efficaciter diligendum in illis, quos ita dirigit, concedo, in aliis, quos non ita dirigit, sed in ignorantia relinquit, nego antec. & in his sufficit sequi ductum rationis &c. & per hæc, quæ dicunt AA. non excluditur amor DEI implicitè talis, nisi S. Thomam velint exclusum. Conversio illa ad DEUM explicanda est in sensu hactenùs proposito; nec verum est, quòd in amore honesti, & fuga mali creatura tanquam in objecto ultimato contineatur, sed ad summum per modum medii, quo accedimus implicitè ad DEUM tanquam ad primam regulam bonitatis moralis.

45 De principio usûs rationis, & articulo mortis non est paritas; in hoc enim supponimus cognitionem sufficientem DEI, & illustrationem internam, non item in primo: sin verò non adsit in utroque respectu hominis barbari, erit par ratio. Quoad fideles autem in articulo mortis potest Sacramentum Pœnitentiæ, cum vera attritione receptum, supplere dilectionem formalem DEI, quatenùs ex attrito facit contritum, ut adeò obligatio ul-

ulterior non ſit. Si verò deſit copia Parochi, vel alterius abſolvere valentis, opus eſt haud dubiè perfecta contritione, charitate informata ex charitate erga ſe ipſum, & DEUM ùt ultimum finem.

Objicitur II. cum Cardinale Aguirre hìc *ſect. 4. n. 43.46* non obſtat, quod S. Doct. admittat infidelitatem negativam, ſeu inculpabilem in iis, qui nihil de fide audierunt; quia non loquitur de prima illuſtratione, quæ à rationis initio datur hominibus circa res fidei, quæ primùm concepta in tenera ætate, facilè per oblivionem naturalem deleri poteſt, ut proptereà ignorantia rerum fidei, & Myſteriorum ſupernaturalium poſſit eſſe naturalis, & invincibilis, quæ proin dicitur infidelitas negativa, ſeu inculpata.

Reſpondeo I. non ſatìs capi poſſe, quòd homo aliàs ſapientiſſimus hanc reſponſionem ad clarum textum S. D. adhibeat; fateor quidem, S. Thom. non loqui *2. 2. quæſt. 10. art. 1.* de illuſtratione in primo inſtanti, ſed ſimpliciter de infidelitate purè negativa, at quid inde commodi pro Adverſariis eveniat, non video. Secundô autem locô in objectione primò citata loquitur expreſsè de primo inſtanti uſûs rationis, ubi etiam admittit obligationem amandi DEUM ſuper omnia ſub peccato gravi: jam his ſuppoſitis, & ex S. Thoma certiſſimis.

Reſpondeo II. & argumentor contra Adverſarios ad hominem: S. Doct. obligat hominem in inſtanti primo rationis ad dilectionem DEI ſuper omnia ſub peccato gravi: ergò in tali, non diligente, non datur infidelitas purè negativa. Antec. & Adverſarii conſequentia prob. ubi adeſt ſufficiens auxilium ad præceptum implendum, & tamen non impletur, non poteſt dari infidelitas negativa, & inculpabilis: ſed in illo inſtanti DEUS communicat auxilium ſufficiens, aliàs præciperet aliquid impoſſibile: ergò

gò non potest dari infidelitas purè negativa &c. Maj. est omnibus certa, nec min. negari potest, nisi admittas cum Hæreticis, DEUM præcipere impossibilia. Nec evadis per hoc, quòd talis in tenera ætate possit oblivisci illius primæ illustrationis.

Contra est enim, vel illi primæ illustrationi cooperatur homo, vel non? Si primum, tunc constituit se in gratia, fitque amicus DEI credendo, & amando, consequenter stante etiam oblivione subsequente nunquam dici potest insidelis inculpabilis, quàm parum alius, qui prædicationem audivit, & credidit. Si verò non cooperatur, peccat, & quidem graviter juxta Adversarios, non faciendo id, quod in se est; sed cùm peccato gàavi non potest stare infidelitas purè negativa, quæ juxta S. Thomam non est peccatum: ergò totus AA. discursus est inanis, nihilque præter verba continet.

47 Nec dicas, illam illustrationem esse instar fulguris citò transeuntis, ùt communiter dicunt Adversarii, & vel ideò posse inculpabiliter negligi propter inadvertentiam, posséque hoc modo stare infidelitatem negativam. Nam

Respondeo, & quæro, an non saltem venialiter peccet homo, illam illustrationem negligendô? Nam ubi præceptum affirmativum obligat aut negativum, inadvertentia excusat quidem à mortali in aliquibus, non tamen à veniali, ubi scilicet propter inadvertentiam non est plenum voluntarium, ùt omnes docent: sed si talis peccat venialiter, sequitur evidenter, quòd in aliquibus possit stare veniale cum solo originali, & hoc est contra S. Thomam *cit. loc.* si verò nullô modô peccat, sequitur, quòd in instanti usûs rationis non teneatur se convertere ad DEUM, quia vires sufficientes non habet: plura possent deduci ex discursu Adversariorum.

Obji-

Objicitur III. & expugnatur ab Adverſariis ignoran- 48
tia DEI invincibilis tam poſitivè, quàm negativè talis, quorum rationem in forma propono. Juxta Apoſt. 1. ad Timoth. 2. *DEUS vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ergò omnibus parat auxilia ſufficientia ad ſalutem. Prob. conſequentia; quia aliàs illa voluntas eſſet ſterilis, & in fœcunda, ùt ait Cardinalis de Aguirre hìc *ſect. 4. n. 30.* iterum Apoſt ad *Hebræos 11. v. 6.* confirmat: *ſine fide impoſſibile eſſe placere DEO; credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus eum remunerator eſt.* Ergò ad providentiam ſpectat, ut omnibus hominibus notitiam ſuæ exiſtentiæ tribuat per auxilia ſufficientia, quibus ſtantibus, nunquam poteſt ſtare invincibilis, & inculpabilis ignorantia.

Reſpondeo I. DEUM quidem omnibus hominibus dare auxilia ſufficientia aut proximè, aut remotè talia. Proximè ſufficientia habent illi, quibus prædicatur Evangelium, quibus verò non, neque datur immediatè inſpiratio interna, habent ſolùm remotè talia, quatenùs rectè juxta dictamen rationis vivendo conſequi poſſunt auxilia proxima juxta doctrinam S. Thom.

Reſpondeo II. Apoſt. loqui de via ordinaria, etiam ſuppoſita prædicatione Myſteriorum fidei, quæ Judæis & gentibus facta eſt per Apoſtolos, & ſic utrumque textum ſalvari, ultimum quidem ſpecialiter in Judæis, quos Chriſtus vocavit ſuamet prædicatione, & tamen non crediderunt, qui vel ideò excuſationem non habent de ſuo incredibilitatis peccato.

(o)

ARTICULUS III.

In quo consistat esse *Divinum primò, & formaliter?*

49 ANte resolutionem nota ex communi Philosophorum, & Theologorum Sententia, quòd rei alicujus essentia ex sequentibus dignoscatur; primò si rei primò, ac *per se* conveniat prædicatum, ita ut distinguatur ab aliis. Secundò si contineat totum, quod ad quidditatem rei pertinet. Tertiò si sit ratio à priori, vel quasi talis, & radix omnium perfectionum: & quia nos constituemus *esse* Divinum in aseitate, tanquam certum supponendum est, *esse à se* posse, & debere dupliciter accipi, semel prout excludit omnem causam sui, & sic dependentiam ab altero, utì tamen ens creatum præsupponit causam sui, & à causa dependentiam. Secundò concipi potest tanquam ens per essentiam, prout excludit non tantùm dependentiam realem, sed omnem aliam, etiam secundùm rationem ab altero ùt à priori, vel quasi, adeóque debet esse omnium primum: nam quamvis omnia prædicata Divina sint unum re ipsa, nihilominùs potest unum respectu alterius concipi tanquam ratio à priori, utì e. g. apud illos, qui esse Divinum constituunt in intelligere actualissimo, quod prædicatum velut rationem à priori supponit intelligere radicale, & immaterialitatem summam; unde Magister Cavin. hìc *disp. 3. quæst. unica §. 5.* ut effugeret illam difficultatem, essentiam DEI Metaphysicè constituit in ratione substantiæ summè immaterialis, quæ essentialiter est prior intelligere tam radicali, quàm actualissimo, cùm gradus intellectualis in DEO probetur velut à priori, vel quasi per *immaterialitatem*. Dico autem à priori, vel quasi; quia prioritas strictè talis

lis respicit posterius tanquam realiter distinctum, utì causa physica suum effectum, ubi verò inter prius & posterius datur realis identitas, prioritas respectivè dicitur, quasi talis, scilicet in comparatione prioritatis realiter distinctæ, interim tamen possumus simpliciter uti termino *à priori* etiam in Divinis; quia in contrarium facilè occurri potest per dictam distinctionem. Itaque cum Cardinale Aguire hìc *sect. 1. num. 34.* & cum aliis, nostram sententiam defendentibus, accipimus ens *per essentiam*, prout excludit non solùm omnem sui causam, sed & omne principium *virtuale*.

Ulteriùs ad præcavendas Adversariorum objectiones 50
advertè: *esse à se* esse quidem transcendens, & sic prædicatum commune omnibus attributis Divinis, in quantum quodlibet eorum excludit causam sui, & dependentiam ab illa; quia reverà nullum attributum est factum, seu creatum, cùm omnia sint *à se:* non tamen esse transcendens, quatenùs excludit etiam virtuale principium, ùt ipse Cavinus, qui huic argumento contra nos pertinaciter insistit, fateri tenetur, quòd v. g. intelligere non excludat principium virtuale, quod est immaterialitas, cùm illam tanquam principium supponat, aliàs juxta ipsum intellectualitas in DEO non posset probari à priori, & sic est de aliis attributis: ergò ens per essentiam seu existens à se excedit omne universim principium, cùm sit omnium aliorum radix prima. Hinc

Dico, Aseitas, quatenùs est formalissima essendi, ac 51
existendi actualitas, est formaliter esse Divinum.

Prob. I. communiter ex Scriptura, & rectè; quia hìc suppositâ Metaphysicâ loquimur Theologicè. *Exod. 3.* ubi Moyses à Domino fuit missus ad filios Israël, ut eos de manu Pharaonis liberaret, interrogavit Moyses v. 13. *si dixerint mihi, quod est nomen ejus, quid dicam eis?* v. 14. di-

xit

xit DEUS ad Moysen: *ego sum, qui sum - sic dices ad filios Israël, qui est, misit me ad vos.* Ex quo colligo, non esse aliud magis expressivum *esse Divini*, quàm esse per essentiam, *sum, qui sum*; hinc fit argumentum: per illud primò constituitur aliquid, & distinguitur ab omni alio, quod primò convenit, éstque cæterorum radix: sed *esse* per essentiam primò convenit DEO, éstque radix cæterorum: ergò per illud DEUS primò constituitur, & distinguitur ab omni alio. Maj. suppon. min. prob. ex S. Dyonisio Areopagita *Lib. de Divinis Nominibus cap. 5.* quem citat S. Thomas posteà allegandus. Ille post alia ait: *ipsum esse per se, esse antiquius, quàm ipsissimam esse vitam, & ipsissimam esse sapientiam, & ipsissimam esse similitudinem Divinam ac cætera, quæ ita entia participant, ut ante omnia ista, ipsum esse participent*: ergò esse per essentiam primò convenit DEO, éstque radix cæterorum, & hoc ad primum constitutivum requirimus.

52 Confirmat. ex S. Thom. & explicatur Dionysius *1. 2. quæst. 2. art. 5. ad 2.* dicendum, quod esse *simplictter* acceptum NB. *quod includit in se omnem perfectionem essendi, præeminet vitæ, & omnibus perfectionibus subsequentibus: sic igitur ipsum esse præhabet in se omnia subsequentia*, & NB. *hoc modo Dionysius loquitur* (scilicet citato loco) útque plenè intelligatur, S. Doct. loqui de esse Divino, cui soli hanc prærogativam attribuit; contrarium de creatura subjungit: *sed si consideretur ipsum esse, prout participatur in hac re vel illa, quæ NB. non capiunt totam perfectionem essendi, sed habent esse imperfectum, sicut est esse cujuslibet creaturæ, sic manifestum est, quod ipsum esse cum perfectione superaddita est eminentiùs: unde & Dionysius ibi dicit, quod viventia sunt meliora existentibus, & intelligentia viventibus.* Hæc S. Thomas necessariò allegandus.

Ex

Ex quibus argumentor: juxta omnes statuendum est 53
pro constitutivo DEI, quod est omnium perfectissimum: sed *esse* simpliciter, seu per essentiam est omnium ex Divinis prædicatis perfectissimum; quia continet plenitudinem essendi: ergò esse simpiciter, seu per essentiam statuendum est pro constitutivo DEI. Secundò: ideò in creatura *esse* non est perfectissimum, quia est participatum; cùm non capiat totam perfectionem essendi: ergò quia *esse* in DEO est illimitatum, continens totam perfectionem essendi, nec potest eminentius fieri per vivere, aut intelligere: ergò esse per essentiam statuendum est pro constitutivo DEI. Unde excluditur Cavini immaterialitas, intelligere radicale, aut actuale, vel quidquid aliud, quia omnia præcontinentur in esse per essentiam, súntque consequentia ad *esse*.

Nec dicas I. ratio essendi cum plenitudine invenitur 54
in omni DEI attributo, imò etiam in relationibus personalibus: ergò non est distinctiva essentiæ DEI ùt sic. Secundò S. Thomas hìc *quæst. 3. art. 10. in Corp.* ait: nomen, qui est significare *esse* DEI *indeterminatè*, tanquam pelagus substantiæ indeterminatum, quod est idem ac indifferens: ergò ex S. D. nihil probatur.

Respondeo ad primum: rationem essendi *à se* esse duplicem juxta distinctionem datam, unde petenda est distinctio, in quo sensu *esse* à se conveniat omnibus attributis, & in quo non. Ad secundum transeat antec. nego consequent. imò ex ipso loco deducitur argumentum.

Prob. conclusio II. juxta S. Thomam hoc nomen, 55
qui est, est maximè proprium DEI, aptúmque ad explicandam ejus essentiam: ergò rectè assumitur pro constitutivo DEI. Antec. prob. illud est maximè proprium DEI, quod non est restrictum ad particularem modum essendi, sed universaliter continet totum pelagus Divina-

rum perfectionum: atqui nomen, *qui est*, non est restrictum ad particularem modum essendi: ergò maximè est proprium DEI. Maj. prob. ab oppositò: ubi est particularis modus essendi, non est plenitudo perfectionum Divinarum, nec pelagus in omni linea, utì exempli gratia particularis modus est immaterialitas, intellectivum radicale, aut actuale: sed est determinatus modus essendi, non comprehendens alios tanquam prima radix: ergò in talibus non rectè ponitur constitutivum DEI.

56 Confirmatur contra Adversarios: nullum prædicatum in Divinis præsupponens aliud prius, potest statui pro constitutivo DEI primo & radicali, de quibus loquimur: sed omne prædicatum aliud in Divinis, præter *esse à se*, præsupponit aliud prius, ùt immaterialitas Cavini, infinitas Scoti &c. ergò nullum prædicatum in Divinis præsupponens aliud prius potest statui pro constitutivo DEI primo & radicali. Maj. est certa ex statu quæstionis, quia constitutivum debet esse primum & perfectissimum, continens totum pelagus perfectionum, quæ omnes suô modô vel *esse* participant, vel quatenùs est transcendens, vel supponunt tanquam radicem non transcendentem, quod eleganter expressit apud Cardinalem Aguirre hìc *num. 50.* S. Bernardus *serm. 8. in cantica* sic arguens: *Neque enim aliunde bonus, quàm unde Magnus, neque aliunde justus, aut sapiens, quàm unde Magnus & Bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm unde DEUS est,* NB. *& hoc est, quia non est ab alio, quàm à se ipso.*

57 Dices: S. Thomam *cit. loc.* tantùm dicere, quod hoc nomen, *qui est*, sit magìs proprium DEO, quàm nomen *DEUS*, quantum ad id, à quo imponitur, scilicet ab *esse*, & quantum ad modum significandi, scilicet essentiam simpliciter. Cui S. Doct. statim addit: *sed quantum ad id, ad quod imponitur nomen ad significandum est magìs proprium hoc*

nomen DEUS, quod imponitur ad significandam naturam Divinam. Ex quo sic: per constitutivum *Divini esse* debet significari natura DEI: sed per *esse* à se, vel *qui est*, non significatur natura DEI: ergò *esse* à se non est constitutivum Divini esse.

Respondeo S. Doct. esse pro nobis ex ipso textu, quia solùm inquirimus id, per quod primò significetur essentia DEI: sed juxta S. Thom. significatur per ly, *qui est*, quod & nos dicimus; ùt patet ex prob. secunda.

Ad argumentum deductum nego, vel gratìs distinguo Maj. per constitutivum debet significari, vel potiùs importari natura Divina implicitè, & identicè concedo Maj. explicitè nego Maj. & sic distincta min. nego consequentiam. Ratio est; quia, licèt essentia, & natura re ipsa sint eadem entitas, important tamen diversas expressiones: nam essentia est *quoad se*, seu in ordine ad se juxta commune illud ex S. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 2. ab eo, quod est esse, dicta est essentia.* Natura verò ex conceptu formali non est in ordine *ad se*, sed ad operationem, cujus est principium mediatum in creatis, & immediatum in Divinis, res autem priùs in suo esse constituta supponitur, antequam intelligatur esse ordinata ad aliud; jam juxta nos intelligitur constituta in *esse* perfectissimo *à se*, ex quo primùm deinde sequitur natura, seu ordo ad operationem: non ergò opus est, saltem in Divinis, ut in constitutivo explicitè importetur ratio naturæ. Unde S. Thomas hìc *quæst. 39. art. 2. ad 3.* ait: *natura designat principium actûs, essentia verò ab essendo dicitur.* Essentia verò & operari faciunt duas lineas: ergò essentia, & natura eodem conceptu formali exprimi non possunt.

Referuntur aliorum circa constitutivum sententiæ per objectiones.

58 Prædicatum constitutivum Divini esse necessariò debet esse perfectissimum etiam juxta nos: sed perfectissimum est intelligere: ergò illud est constitutivum. Min. prob. gradus intellectualis præ omnibus aliis exprimit majorem perfectionem; quia continet gradum entis, & immaterialitatis, & quæcunque demum alia, quæ in DEO DEO inveniuntur: ergò perfectissimum prædicatum est. Prob. antec. in creaturis, utì in Angelo, & homine participantibus perfectiones Divinas, nobilior participatio est in linea intellectiva: ergò etiam intelligere in DEO est perfectissimum. Prob. consequentia, quò magìs creatura accedit ad DEUM, eò perfectior est; ideò homo perfectior est animali, & homine perfectior est Angelus, Angelus unus perfectior altero: sed eò magìs accedit ad DEUM, quò magìs accedit ad intelligere: ergò quia perfectio creaturæ accedentis ad DEUM provenit ab accessu ad intelligere, intelligere in DEO erit perfectissimum. Ratio hujus est, quòd supremum sit mensura inferiorum, participantium illud supremum; hinc si *esse per essentiam* esset perfectissimum, deberet mensura perfectionis in creatura, accedente ad DEUM, ab illo desumi: hoc autem est falsum in omni Philosophia: ergò esse per essentiam non potest esse perfectissimum, quia superatur per gradum intellectualem.

59 Respondeo: hoc argumentum, cui ex Adversariis plurimi fidunt, solvitur ab ipso S. Thoma suprà relato ad finem cit. & à S. Bernardo: proin Respondes in forma conc. Maj. dist. min. cæterîs paribûs conc. secùs nego min. & ita dicendum ad cætera, hoc est, intelligere secundùm explicitum est perfectissimum, quia perfectionem Divi-

nam

nam nobilissimam significat, sed cùm radix non sit omnium, & consequenter se habeat ad immaterialitatem, & immaterialitas ipsa supponat *esse* per essentiam, hoc erit perfectissimum, continens in se tanquam radix ipsum intelligere, ùt docet ibi S. Thomas, *esse, quod in se includit omnem perfectionem, eminet vitæ, & omnibus perfectionibus subsequentibus &c.* Vita in DEO est substantialiter intellige-re: ergò si *esse* præeminet vitæ, etiam præeminet lineæ intellectuali. Dein dato gratis, quod intelligere sit perfectissimum absolutè, non tamen sequitur, quòd sit constitutivum, quia non est primum, utpote supponens plenitudinem essendi.

Ad instantiam de creatura conc. Maj. dist. min. eò magis accedit ad DEUM, quò magis accedit ad intelligere, ita tamen ut prius magis accedat ad *esse* conc. min. simpliciter, & nudè ad intelligere nego min. & suppositum, quòd ulla creatura possit magis alterâ accedere ad intelligere, nisi prius magis accesserit ad *esse*, seu ad actualitatem; est enim perpetua S. Thomæ doctrina, quòd creatura, quò magis recedat à materia, & minùs potentialis sit, eò perfectior sit, magísque accedat ad DEUM ùt actum purissimum, qui omnem potentialitatem excludit, in qua dein majori, & majori actualitate, & immaterialitate radicatur principium vitale, & intellectivum, ita tamen ut prior sit actualitas essendi.

Dices juxta S. Thomam supra *cit.* ad finem: *ipsum esse cum perfectione superaddita esse eminentiùs.* Unde S. Dionysius infert: *Viventia sunt meliora existentibus, & intelligentia viventibus:* ergò gradus viventis, & intellectivi perfectionem superaddunt entitati.

Respondeo dist. consequens. perfectionem superaddunt explicitè, & secundum quid talem, quæque jam continetur implicitè in majori actualitate entis, quam sup-

ponunt tanquam radicem conc. conſ. abſolutè, ſimpliciter, & primò talem nego conſ. & conſequentiam. Si verò hæc reſponſio aliàs in conſequentia doctrinæ Thomiſticæ fundata; minùs arrideat, potes inſiſtere textui S. Thomæ & dare diſparitatem inter *eſſe* DEI, & creaturæ, quia in primo eſt plenitudo eſſendi, in ſecundo autem participatio ſolùm imperfecta. Sed

61 Aſſumes cum intellectualiſtis: conſtitutivum eſſentiæ Divinæ non poteſt eſſe prædicatum negativum: ſed *aſeitas* eſt prædicatum negativum: ergò non poteſt eſſe conſtitutivum. Maj. eſt certa; quia nulla eſſentia poſitiva conſtituitur ex prædicato negativo, etiam particulariter. min. prob. *aſeitas* aliud non eſt, quàm *eſſe* non habere ab alio: ſed hoc eſt merè negativum: ergò *aſeitas* eſt prædicatum negativum. Nec obeſt, quòd negativum conjungatur cum ente, ut ſenſus aſeitatis ſit iſte: *ens non habens eſſe ab alio*, ubi poſitivum cum negativo componitur; nam præterquàm, quòd gradus entis ùt ſic nullam eſſentiam particularem conſtituat, non poteſt ex ente poſitivo, & negativo conſurgere conſtitutivum eſſentiæ, quæ integrè, & adæquatè eſt poſitiva; quod firmatur à pari: nulla eſſentia creata particularis poteſt conſtitui per complexum ex ente, & *abaleitate:* ergò multò minùs poteſt ens increatum conſtitui ex ente, & negatione *abaleitatis.* Antec. eſt certum; quia eſſentia creata habet ſuum ſpeciale conſtitutivum, utì Angelus, homo &c.

Reſpondeo primò ad argumentum conc. Maj. nego min. ad prob. nego Maj. & min. aſeitas enim ex primo conceptu eſt ens per eſſentiam, ſibi ipſi ſufficiens ad exiſtendum à ſe ipſo, quod totum eſt poſitivum; quamvìs ſecundariò poſſit aſeitas explicari per negationem eſſendi ab alio, quod tamen conſecutivè ſe habet, cùm hoc ipſo, quòd

quòd sufficiat sibi ad existendum, excludat omne aliud, à quo possit sufficientiam existendi accipere.

Respondeo II. ad prob. & parit. prænotandô : ens62 reale ùt sic primariò dividi in ens *à se*, & in ens *ab alio*, cujus divisionis membrum ex una parte immediatum, & unicum est DEUS, ex altera verò dividens est creatura *ùt sic*, in qua omnes creaturæ particulares conveniunt tanquam in ratione communi. Jam nemo negat, quin constitutivum creaturæ *ùt sic* sit ens, & ejusdem differentia, vel quasi talis sit *abaleitas*, per quam distinguitur creatura *ùt sic* ab ente *à se*, ita ut aseitas sustineat vices differentiæ, vel quasi talis : an non ergò rectè inferimus à pari, constitutivum DEI immediatum est primum esse *à se* modô explicatô, scilicet cùm DEUS sit ens à se, sibíque solus sufficiat, continet in se necessariò plenitudinem essendi, & perfectiones in omni linea infinitas : ergò etiam constitutivum creaturæ *ùt sic* est *esse ab alio?* Hinc paritas ab ente creato in particulari hìc non valet; nam essentia particularis creaturæ non est membrum immediatè dividens illius divisionis DEI & creaturæ, nisi sub ratione communi: in particulari autem constituitur per genus proximum, & differentiam ultimam, ùt constat ex arbore prædicamentali. Hinc argumentum à pari pro nobis est in hoc : essentia creata in communi constituitur immediatè per rationem entis ab alio: ergò etiam essentia increata immediatè constituitur per rationem entis *à se.*

Denique: Respondeo ad ea, quæ ex hac ipsa cathedra doctus fui de intelligere actualissimo S. Thomas hìc *quæst. 27. art. 2. in Corp. ad finem:* cùm Ecclesia in Festo SS. Trinit. absolutè affirmat hoc: in DEO idem est intelligere, & esse, & hoc non solum in sensu reali & identico, sed in formali pro constitutivo, & constituto accipiendum

dum est: ergò essentia Divina constituitur per intelligere actuale. Antec. prob. quia Scriptura in sensu proprio, & formali accipienda est, si fieri potest sine inconvenientia: sed intelligere, & esse in sensu proprio significant actualem intellectionem: ergò &c.

63 Confirmatur I. Illud est formaliter constitutivum essentiæ Divinæ, quod Verbum Divinum vi generationis formalis accipit: sed vi generationis formalis accipit intellectionem actualem Divinam: quia procedit per intellectionem, qua Pater suam essentiam, utique non solùm radicaliter, sed actualiter cognoscit ùt communicabilem, sícque Verbum Divinum statim formatur: ergò intellectio actualis est constitutivum essentiæ Divinæ. Ideò autem dicitur vi processionis formalis; quia ad generationem propriè dictam non sufficit in similitudinem generantis, & vi generationis identicæ tantùm procedere, sic enim dici posset, Verbum Divinum procedere vi processionis identicæ per voluntatem, seu per volitionem actualem, nam & hæc realiter & identicè potest dici generatio, quia est realiter eadem cum intellectione Divina, quod tamen est falsum.

Confirmatur II. actualis intellectio prout substantialis est, & *à se* intelligens intellectio, & ipsum objectum primarium intellectum &c. non est creatura, nec etiam est attributum DEI aliquod speciale; non est enim formaliter justitia, vel misericordia: ergò formaliter est ipsa essentia Divina. Consequent. patet; nam si nihil eorum est, sequitur clarè, intelligere actuale esse radicem determinatam cum omnibus requisitis ad constitutivum formale in genere vitæ, & intelligibili, ad quam cæteræ perfectiones fluunt, sic ad intellectivum actuale sequitur volitivum, omnipotentia, bonitas &c. ergò &c. hæc sunt ar-

argumenta Clarissimi mei quondam Professoris Augustini Magg in M.SS.

Respondeo ad argumentum conced. antec. in sensu64 identico, & nego in sensu formali. ad prob. conc. Maj. ùt jacet, nego autem non esse inconveniens, si prima radix, qualis sola est *esse à se* confundatur cum suo radicato, quod est intelligere, quod patet ex S.Tom. & Dionysio suprà citatis. Transeat min. quia etsi intelligere significet actualem intellectionem, non tamen adhuc sequitur, esse constitutivum, quia supponit esse à se. Dein omnes negant absolutè minorem, qui constitutivum ponunt in intelligere radicale.

Ad confirmat. I. transeat Maj. nego min. quæ non videtur cohærere cum generatione Verbi ; nam DEUS Pater suam essentiam cognoscendo format Verbum, seu sui imaginem, cui essentiam suam communicat, ita, ut actualis cognitio se habeat per modum medii, quo formatur Verbum, ita, ut Verbum respectu intellectionis se habeat per modum termini: ergò Verbo vi generationis non communicatur actualis intellectio, nisi prorsus impropriè quatenùs per intellectionem actualem formatur, eique essentia communicatur. Transmisi Maj. quæ absolutè potest negari ; nam in illo priori originis ad generationem Verbi jam intelligitur constitutum *esse* Divini, quod dein per generationem communicatur Verbo; unde S. Dionysius *supra cit.* ait : *Esse per se antiquius esse, quàm ipsissimam esse vitam, ipsissimam esse sapientiam* (id est intelligere) & NB. *ipsissimam esse similitudinem Divinam.* Sed ipsissima similitudo Divina est Verbum : ergò si *esse* antiquius est, essentia in illo priori Originis jam intelligitur constituta. Cætera adjecta de generatione formali, & non identica nihil operantur ; datâ enim illâ generatio-

ne formali, necdum sequitur intentum, quia semper præsupponitur *esse* per essentiam, ex qua primò fluit.

Ad secundam Confirmat. transeat antec. nego consequent. nec patet ex illis adjectis ; quia non sequitur ex eo, quòd cùm intelligere attributum non sit, sit radix prima, & sic constitutivum primum formale ex ratione statim allegata. Dein potest negari, quòd intelligere non sit attributum, quatenùs sequitur esse jam constitutum, cui subinde attribuitur, quamvis impropriè ; quia attributa strictè non tantùm præsuponunt essentiam completam, sed insuper correspondent accidentibus creatis, ùt justitia, bonitas &c. datô igitur, quòd intelligere actuale non sit attributum strictè, non tamen est de conceptu primariò essentiæ, sed secundariò, & vel ideô dicere possumus attributum. Unde non valet illatio : intelligere non est attributum propriè dictum : ergò est formale constitutivum, cùm supponat *esse à se*.

ARTICULUS IV.

An, & quomodò perfectiones creaturarum sint in DEO?

65 HÆc quæstio consurgit ex dictis, nam si DEUS est ens entium, à quo creaturæ suum *esse* participant, illud *esse* secundùm perfectionem aliquo modo debet esse in DEO, & de hoc agit S. Thomas *quæst. 4.* probat ex titulo primæ causæ universalis, in cujus virtute effectus continentur, ut adeò perfectio effectûs in causam refundi debeat. Dein ex plenitudine essendi ; sicut enim ideò DEUS est *ens à se*, & sibi soli sufficiens, ita necessariò cōtinet perfectiones entium creatorum. Quo verò modo, non conveniunt. Ante conclusionem nota ex Philosophia, posse aliquid *eminenter* continere alterum tripli-

plici modo; primò *eminenter formaliter*, qualiter DEUS continet formaliter, & quidem cum eminentia rationem substantiæ. Secundò *eminenter virtualiter*, in quantum potest ùt causa producere effectum alium, & alium, quamvìs eundem in se formaliter non contineat, utì patet ex diversitate effectuum: tertiò *eminenter æquivalenter*, hoc est, quamvìs e.g. DEUS non sit formaliter animal, æquivalet tamen illi cum eminentia infinita. Prætereà perfectiones vel sunt simpliciter tales, quæ scilicet in ratione formali nullam imperfectionem involvunt, vel secundùm quid tales, quæ in conceptu formali important imperfectionem respectu DEI. V. G. esse rationale, animal sensitivum &c. quamvìs respectu aliarum creaturarum dicant perfectionem, non tamen relativè ad DEUM. Quoad posteriores adhuc dubium est inter Thomistas, an earum imperfectio in conceptu explicito importata possit ita præscindi, ut saltem secundùm id, quod perfectionis habent, attribui DEO possint, præcipuè controvertitur de genere, & differentia.

Dico I. in aliquibus perfectionibus secundùm quid non potest ita præscindi earum imperfectio, ut DEO possint attribui *formaliter eminenter*.

Prob. ratione ab exemplo: in ratione generis, & dif- 66
ferentiæ non potest potentialitas, & limitatio ita præscindi, ut secundùm perfectionem, quam habent, possint convenire formaliter DEO: ergò vera est conclusio. Probatatur antecedens, si daretur talis præcisio, genus non amplius esset genus, nec differentia, vel species esset talis: sed hoc est contra suppositum quæstionis: ergò talis præcisio non datur. Maj. prob. genus ex conceptu formali est prædicabile de pluribus specie differentibus, & species infima est prædicabilis de pluribus solô numerô differentibus, & hoc ipso genus est contrahibile per speciem,

ciem, & ſpecies per individuum, nec minùs differentia, quæ ſpeciem conſtituit: ſed eſſe contrahibile involvit imperfectionem, & limitationem: ergò imperfectio non poteſt ita præſcindi.

Confirmatur juxta S. Thomam in Metaphyſica: non poteſt ens perfectè præſcindi ab inferioribus, vel ſaltem quod certum eſt, differentiæ non poſſunt præſcindi ab ente, aliàs eſſent nihil in ſtatu præciſo: ſed unica ratio formalis, quæ diceretur perfecta, eſt gradus entis: ergò imperfectio non poteſt præſcindi in genere, & differentia ab illo, quod in ipſis perfectum eſt.

67 Dico II. omnis perfectio ſimpliciter ſimplex creaturarum formaliter eſt in DEO. Colligitur ex S. Thoma *quæſt. 4. art. 2. in Corp.*

Probatur. DEO attribuendum eſt omne perfectum ſimpliciter tale: ſed perfectiones creaturarum ſimpliciter ſimplices formaliter ſunt quid perfectum; cùm in conceptu formali nihil imperfectionis importent: ergò DEO ſunt attribuendæ formaliter. Maj. videtur certa; DEUS enim eſt formaliter ens perfectiſſimum: ſed ſi aliqua perfectio creata non eſſet in DEO, non eſſet ens formaliter perfectiſſimum, eo ipſo, quòd ipſi deeſſet aliqua perfectio. Min. declaratur: perfectiones ſimpliciter ſimplices, quamvìs materialiter, & ex parte modi, quo à creaturis participantur, imperfectionem involvant, in conceptu tamen formali illam non exprimunt, ùt patet ab exemplo: ſapientia, bonitas in creatis, licèt ex limitatione, omnibus creaturis communi, & ex eo, quòd ſint accidentia, imperfectæ ſint, id tamen materialiter ſe habet quoad conceptum formalem, qui exprimit tantùm perfectionem, & imperfectio ſequitur, per quam determinatur ad imperfectum analogatum ſcilicet ad eſſe creatum.

Nec

Nec dicas, ex hoc tantùm sequi, quod aliqua ratio 68
analoga perfectionis simpliciter talis conveniat DEO, non verò, quòd ipsa perfectio sit in DEO, quæ est in creaturis, cùm ex hoc ipso essentialiter sit imperfecta, quia limitata.

Respondeo enim, argumentum esse contra suppositum quæstionis: nam solùm dicimus, quòd perfectiones simpliciter tales, quæ in creaturis sunt, analogicè sint in DEO, & de illo dicantur in eo sensu, quod, sicut homo dicitur sapiens, bonus &c. sic etiam DEUS dicatur sapiens, bonus &c. formaliter, & eminenter, præcisîs imperfectionibûs etiam negativè talibus, scilicet modô actualissimô, & purissimô: non autem volumus, quòd perfectiones in creaturis contentæ sint in DEO formaliter secundùm genus, speciem, aut numerum, ùt sunt in creaturis, consequenter objectio non est ad rem.

Declaratur, & simul confirmatur conclusio: præ- 69
dicatum viventis, intellectivi, & volitivi sunt in creatura pefectiones simpliciter secundùm conceptum formalem: sed ista prædicata sunt etiam formaliter in DEO: ergò perfectiones in creatura sunt formaliter in DEO. Maj. est clara. min. suadetur: sicnt dicuntur de DEO, ita dicuntur de creatura, non tamen ita, quasi ratio viventis, & intellectivi sit in creatura, & illa ipsa sit in DEO, sed alio & alio modo, ut, quæ creatura habet *participativè*, DEUS habeat *essentialiter* modô infinitè perfectissimô. Instantia est in audiente, & substantia: verum est dicere, quòd ratio entis in substantia sit analogicè in audiente, ut de eo formaliter prædicari possit, non tamen sequitur, quod illa portio, ut ita dicam, entis, quæ est in substantia, illa ipsa sit in audiente, quod est falsissimum.

Dices assumendo responsionem contra conclusio- 70
nem primaminferendo: ergò ratio generis, & speciei se-

cundùm id, quod continent formaliter, etiam dici posse de DEO. Prob. illatum: quamvìs sapientia, & bonitas creata dicant imperfectionem ex potentialitate, & limitatione, tamen possunt formaliter dici de DEO: vel sic: quamvìs homo dicat limitationem, tamen secundùm bonitatem potest dici de DEO: ergò etiam, quamvìs genus, & species dicant potentialitatem, tamen secundùm rationem entis possunt dici de DEO.

Respondeo negando illatum, ad prob. nego consequentiam, & paritatem; quia ratio sapientiæ, vel bonitatis sunt prædicata accidentalia in homine, & realiter à subjecto distincta, ideóque concipi possunt in se præcisè; alia verò prædicata, ut ratio viventis & intellectivi, quamvìs radicentur in eodem supposito, & sic in sensu radicali identificentut (eadem enim anima est radicaliter vivens & intellectiva) in sensu tamen formali distinguuntur realiter, & sic considerata dicunt perfectionem: in sensu autem radicali distinguuntur virtualiter, & hoc ipso perfectè præscindi possunt; aliud est in genere, & specie, quæ rationem entis involvunt, & sic potentiale faciunt, quod non convenit esse actualissimo. Tota ratio fermè consistit quoad hoc, quòd non detur præcisio, consequenter ratio entis in similibus involuta non possit dici de DEO formaliter, nisi eminenter virtualiter tanquam in causa. Si autem defendas rationem entis *ùt sic*, quod multi etiam ex Thomistis docent, & Recentiores communiter, posse præscindi, dices, rationem entis convenire DEO analogicè *ùt sic*, sed an hoc consequenter ad univocationem, viderint in Philosophia.

71 Ex his colliges, quòd perfectiones *secundùm quid* tales sint in DEO *eminenter virtualiter* tanquam in causa; quia quod perfectionis est in effectu, est virtualiter in causa principali, vel secundùm eandem rationem, si causa univo-

voca sit, ùt leo respectu leonis causati, vel eminentiori modo, si causa fuerit æquivoca, ùt loquitur S. Thomas *cit. quæst. 4. art. 2.* per totum, qualis DEUS est respectu perfectionum *secundùm quid*, ubi ratio formalis præscindi non potest, secùs verò DEUS est causa nec purè univoca, nec æquivoca, sed analoga. Potest etiam dici respectu aliquorum effectuum, ùt hominis, leonis, & sic proportionaliter ulteriùs, quòd DEUS sit homo, discursivus, vel rugibilis non quidem formaliter eminenter, sed eminenter æquivalentur, quatenùs continet alia prædicata illis eminenter æquivalentia, fermè si dicas, aureus non est florenus, alter dicat, non est quidem formaliter florenus, est tamen æquivalenter eminenter talis.

Cùm perfectiones secundùm quid tales non sint formaliter in DEO, ideóque ei attribui non possint.

Quæres, an DEUS, & universum simul sit aliquid 72
perfectius, quàm DEUS solus? Suppono ex Philosophia, aliquid posse perfectius esse vel intensive, vel extensivè, intensivè nihil per creaturas posse DEO accidere, ab Authoribus supponitur, proin ad utrumqne

Respondeo negativè: Ratio est, quidquid perfectionis est in creaturis, continetur in DEO aliquo ex tribus modis *eminenter:* ergò DEUS, & universum non est aliquid perfectius, quàm DEUS solus. Antec. suppono ex participatione perfectionis Divinæ. Consequent. prob. ex S. Thoma *1. 2. quæst. 34. art. 3. ad 2.* ubi dicit de *optimo simpliciter* sic: *per cujus participationem omnia sunt bona, ex nullius additione fit melius, sed in aliis bonis* (scilicet creatis) *universaliter verum est, quod quodlibet bonum ex additione alterius fit melius.*

Confirmatur à pari: Verbum Divinum in natura- 73
humana subsistens non est quid melius, aut perfectius, quàm ùt subsistens purè in natura Divina: ergò etiam

DEUS,

DEUS, & universum non sunt aliquid melius, quàm DEUS solus. Antec. prob. & consequentia: ideò ibi non est aliquid melius, & perfectius, quia natura humana non perficit Verbum, aut ejus subsistentiam, sed perficitur à Verbo: ergò etiam posterius, quia universum non perficit DEUM, sed à DEO perficitur. Et hoc est expressa sententia S. Thomæ *in 3. sent distinct. 3. quæst. 2. art. 3. ad 1.* ubi de Christo loquitur: *in persona composita, quamvis sint plura bona, quàm in persona simplici; quia est ibi bonum increatum, & bonum creatum: sed tamen persona composita non est majus bonum, quàm simplex; quia bonum creatum habet se ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam.* Hæc S. Doct. quod assumo: sed punctum in illorum sententia, qui continuum admittunt ex partibus divisibilibus, & punctis copulantibus, atque terminantibus lineam non facit majorem extensivè: ergò nec bonum creatum additum bono increato in Persona facit melius extensivè. Paritas est S. Thomæ *cit. loc.* cui aliam adhuc responsionem addit: *vel etiam*, ait, *quia tota ratio bonitatis, omnium bonorum est in DEO, unde & ipse dicitur omne bonum: unde non potest sibi fieri additio alicujus boni, quod in ipso non sit.*

74 Ad rem nostram etiam pertinet illud Augustini *tract. 11. in Joan. Si fueris sine DEO, minor eris, si fueris cum DEO, major DEUS non erit: non ex te ille major, sed tu sine illo minor.* Et quamvis loquatur in sensu potiùs morali, commodè tamen sine violentia ad sensum physicum adhiberi potest in exemplo de Christo homine; nam rectè dices ad humanitatem Christi: si fueris sine DEO (id est sine subsistentia Verbi) minor eris (quia subsistes tantùm subsistentiâ creatâ) si fueris cum DEO, major DEUS non eris (quia manet ùt anteà) non ex te ille major, sed tu sine illo minor, quod intelligenti Incarnationis Mysterium non potest non esse clarissimum.

Di-

Dices : ibi major est perfectio, ubi plura sunt bo- 75
na, & specie, & numerô distincta : sed in DEO, & universo simul sunt plura bona taliter distincta, quàm in DEO solo : ergò in DEO, & universo simul est major perfectio saltem extensivè ; quia extensio juxta Adversarios desumitur à multitudine bonorum. Prob. discursus, & ultima causalis à pari : quamvis unicum opus meritorium in Christo sit infinitum ratione valoris, quia à dignitate infinitæ personæ operantis desumitur, neque possit intensivè per aliud perfici, nihilominùs plura opera Christi dicuntur perfectiora extensivè, quàm unum tantùm : ergò etiam plura bona specie, & numerô multiplicata, sunt perfectiora extensivè.

Respondeo juxta dicta distinguendo : si non continentur in DEO eminenter formaliter, vel virtualiter, aut æquivalenter concedo Maj. si continentur nego Maj. & sic distincta min. nego consequentiam ; disparitas est ex terminis ; quia unum opus meritorium non continet alterum, uti E. G. actus charitatis, quem Christus in primo statim instanti elicuit, non continebat actum passionis, vel alterius virtutis. Dein unus actus meritorius non ex participatione alterius est infinitus in ratione valoris, sicut creatæ perfectiones sunt tales ex participatione illius summæ, & infinitæ perfectionis, sed quilibet actus Christi fuit talis per dignitatem suppositi Divini operantis, & actum moraliter valorantis : & quamvis etiam unus actus in Christo fuerit æquè infinitus formaliter, quàm actus alii etiam collectivè sumpti, cùm unicum infinitum non majus sit altero *formaliter*, quidquid sit de *materialiter*, non tamen sequitur aliquid contra conclusionem ex ratione data, quòd nullus actus in Christo suam infinitatem habeat ab altero ; unde in tract. de incarnatione admi-

si, quòd in satisfactione plura sint infinita ad multiplicitatem scilicet actuum.

Nec obest pluralitas illa bonorum in argumento; nam quod creatura possit multiplicari modô limitatô, & imperfecto, continetur in DEO modo perfectissimo, unde non potest fieri multiplicatio perfectionis respectu DEI, sed solùm respectu creaturæ secundùm modum illum imperfectum, qui non continetur in DEO, nec tamen arguit defectum in DEO, quia perfectionem talem respectivè non potest habere, ad quod servit exemplum superiùs de homine; nam licèt rationale sit perfectio respectu animalis irrationalis, non tamen est perfectio respectu DEI propter imperfectum modum participandi esse intellectivum; DEUS enim non ratiocinando, sed uno intuitu exhaurit objectum, quod nos per discursum cognoscimus.

76 Dicta de multiplicitate eleganter confirmat S. Thomas *quæst. 1. de malo art. 1. ad 4. Si duo participantia conjungantur, augeri potest in eis id, quod participatur: sed si participans addatur ei, quod est per essentiam tale, non facit aliquid majus: sicut duo calida adjuncta de se invicem possunt facere magìs calidum, sed si esset aliquid, quod esset calor per essentiam, ex nullius calidi additione intenderetur: cùm ergò DEUS sit ipsa essentia bonitatis, ùt Dionysius dicit in lib. de Divinis Nom. ex nullius boni additione fit DEUS magìs bonus, quia cujuslibet rei alterius bonitas continetur in ipso.* Ex quo res tota, & consequentia doctrinæ Thomisticæ habetur.

Cæterùm non nego, quòd ex creaturarum perfectione magìs innotescat perfectio Creatoris, & ideò occasionem habeamus apprehendendi majorem perfectionem in DEO, & universo simul, quàm in DEO solo, sed id tantùm procedit quoad nos, non quoad rem ipsam, in quo posset fieri compositio utriusque opinionis.

AR-

ARTICULUS V.

De Immensitate DEI.

DE hac materia S. Thomas hìc tractat *quæst. 8.* per to-77 tam, ubi primò discutit, an DEUS sit in omnibus rebus? Et ex illo, an sit ubique, & quidem per essentiam? Idque esse proprium DEO asserit, ubi incidenter agimus de loco. Pro quo suppono, DEUM, sicut in quolibet attributo est infinitus, excludens omnem limitationem, ita ratione immensitatis esse super omnem locum, consequenter loco quodam concludi non posse, & vel ideò juxta nos non posse esse in loco propriè. Unde S. Doct. *2.2. quæst. 84. art. 3.* ubi quærit, an adoratio DEI requirat determinatum locum? Respondet in *Corp.* & ad secundum ibi, quòd simpliciter non requiratur certus locus, cùm mens nostra interius apprehendat DEUM, quasi non comprehensum aliquo loco, propter decentiam tamen sint loca quædam constituta, in quibus conveniunt adorantes DEUM, ùt constat ex veteri Testamento, de templo Jerosolymitano, & in novo de Ecclesiis, unde S. Thomas *cit. loco ad 2.* ait: *determinatus locus eligitur ad adorandum* NB. *non propter DEUM, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes.* Quod ex triplici capite probat, primò propter consecrationem loci. Secundò propter Mysteria, vel signa, quæ in illis accidunt, ùt patet iterum ex templo Salomonis, quod in Dedicatione implevit Majestas Domini. Tertiò propter concursum adorantium; quia DEUS citiùs, & faciliùs exaudit preces communes juxta illud Math. 18. v. 20. *ubi enim sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si quæras, cùm DEUS ubique sit, cur oratio fiat versus Orientem, ùt patet in Ecclesiis, in qui-

bus Altaria; in quantum fieri potest, versùs Orientem construuntur, cùm tamen in veteri Testamento oratio fieret versùs Occidentem, quia ostium tabernaculi respiciebat Orientem, utì habetur *Exodi 26.* Responderi potest ex S. Doct. id fieri propter Christum, qui est lux mundi, & Oriens nominatur *Zach. 2.* & qui ascendit super Cœlum Cœli ad Orientem, & ab Oriente etiam exspectatur venturus ad judicium secundùm Matth. 24. v. 27. *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis.*

78 Quòd DEUS ratione immensitatis sit ubique, certum est ex Scriptura, præsertim Geremiæ 23. v. 34. *Nunquid Cœlum & terram ego impleo.* Et *Psalm. 138. v. 8.* dicitur: *si ascendero in Cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* In quo aliqui absurdè scrupulosi sunt, existimantes, ubiquitatem DEO indignam esse, cùm exinde sequeretur, DEUM etiam rebus turpissimis esse præsentem, contra quos Hugo Victorinus apud Cavinum hìc *disput. 6. quæst. 1.* excipit dicens: *ita frivolum est* (scilicet quòd putent illi, DEUM inquinari, si omnibus etiam sordibus præsens sit) *ut nec responsione dignum sit, cùm etiam spiritus creatus sordibus corporis, etsi leprosi, & quantumcunque polluti inquinari non possit.* Et S. August. *lib. de triplici habitaculo c. 6.* contra tales argumentatur ab exemplo notissimo: *sicut lux ista visibilis omnia loca illustrat, & sterquilinia etiam penetrat sine sui fœtore, & sine sui pollutione, quantò magìs DEUS.* Et quare tales non etiam inferunt indignitatem, quòd DEUS etiam ad effectus turpissimos concurrat? Sicut ergò hujus assertio DEO subtraheret rationem causæ universalissimæ, & primæ, ita alterum immensitatem constringeret, & hoc ipso tolleret, si non esset ubique.

S. Thomas hìc *art. 1. in Corp.* concludit, quòd DEUS sit in rebus omnibus, idque ex eo probat, quia agens adest ei,

ei, in quod agit ; *oportet enim omne agens conjungi passo, in quod immediatè agit, & sua virtute illud contingere &c.* & hoc ulteriùs deducit ex causalitate DEI in omnibus rebus universali. Sed hæc ratio non placet Scoto, nec aliquibus RR. ex quibus primus est Vasquez, cujus rationes constringo, & substantiam teneo.

Primò ait ; non rectè probatur præsentia DEI in omnibus ex eo, quòd agens debeat esse conjunctum passo ; ergò ratio S. Thomæ est nulla. Antec. prob. defactò sol producit aurum in visceribus terræ, & tamen non est ibi per suam substantiam : item ignis etiam distans accendit stupam : ergò multò minùs substantia infinitæ virtutis debet esse præsens passo per suam substantiam : secundò DEUS potest operari per instrumenta à passo distantia, & si ita operatur, fit mediante virtute à se diffusa : ergò necessum non est, ut DEUS adsit per suam substantiam. Tertiò DEUS est agens perfectissimum : ergò potest agere in distans, quæ actio non requirit præsentiam suppositi. 79

Dico 1. DEUS est ubique physicè per operationem. 80

Prob. ut aliquid sit alicubi, & dicatur esse in loco, debet aliquo modo contingere locum vel contactu quantitatis dimensivæ, vel contactu virtutis : sed DEUS primô modô non potest dici esse in loco : ergò secundô modò. Maj. supponitur, éstque expressa mens S. Thomæ hìc *art. 2. ad 1.* éstque aliàs Philosophi in physica de loco Min. ex eo certa est, quòd, cùm DEUS sit omnis corporis expers, & hoc ipso quantitatis, non possit dimensivè locum contingere. Prob. ergò illatum : DEUS vi immensitatis est in rebus omnibus, ùt patet ex *artic. 1.* S. Thomæ, & ex S. Scriptura cit. sed non est in rebus per identitatem, vel per modum compositionis, cùm non sit forma, vel accidens, nec tanquam extremum respe-

ctu alterius, utì est in Mysterio Incarnationis, ubi Verbum Divinum rationem extremi habet respectu naturæ humanæ, quàm intrinsecè terminat: ergò est in rebus tanquam in loco physicè per operationem. Consequentia est legitima; minore sufficienter modum essendi denumerante, atque ideò illa subsistit tam diu, dònec probetur alius modus inessendi rebus, & DEUM quodammodò physicè locandi.

Dixi *quodammodò;* quia vi operationis DEUS non est propriè in loco, quia non continetur in illo, sed potiùs locum continet, ideò S. Doct. *art. 1.* ad similem objectionem respondet ad secundum, assignando disparitatem inter corporalia, & spiritualia in hoc: *quòd licèt corporalia dicantur esse in aliquo sicut in continente, tamen spiritualia continent ea, in quibus sunt: sicut anima continet corpus: unde NB. & DEUS est in rebus, sicut continens res: tamen per quandam* NB. *similitudinem corporalium dicuntur omnia esse in DEO, in quantum continentur ab eo.* Ex quibus apparet, locationem DEI esse omninò impròpriam, cùm locus sit in DEO, & non DEUS in loco, etiam spectando ejus operationem, quæ utpote formaliter eminenter infinita non patitur limitationem, nisi ad summum *terminativè*, ipse effectus est limitatus ex ratione creaturæ, quæ infinitatis est incapax saltem quoad *esse*.

81 Dico II. DEUS vi immensitatis est ubique, seu in omnibus rebus etiam nondum intellecta adhuc ejus operatione.

Pro cujus notitia duplicem assigno locum unum Metaphysicum, alterum Physicum. *Metaphysicè* esse in aliquo (quamvìs respectu locationis physicæ sit quid improprium) est adesse rei per præsentiam suam *intransitivè* ita ut non possit dici distare à re, qualiter DEUS est per suam immensitatem intimè illapsus cuivis rei. *Phy-*

si-

ficè adesse in spiritualibus, & vel maximè in DEO, est operari, per quod fit contactus virtutis respectu passi. Fermè idem sentio de duplici loco respectu Angeli, qui per suam substantiam potest esse in aliqua re exhibendo nudam suam præsentiam, ut verum sit, Angelum non distare; si verò operatur, ùt ipsi est liberum, *physicè* dicitur in loco, sed impropriè ex rationibus assignatis: & quia Angelus limitatè tantùm DEI immensitatem participat, non potest esse ubique. Quibus suppositis

Prob. conclusio: DEUS præscindendo ab omnipo- 82
tentia, ad quam sequitur operatio; jam intelligitur vi immensitatis intimè illapsus omni rei: ergò est ubique nondum intellecta ejus operatione. Antec. prob. imensitas est attributum ab omnipotentia virtualiter distinctum: ergò potest DEUS intelligi inesse rebus, seu esse ubique, quin intelligatur operari. Consequentia videtur legitima ab instantia aliorum attributorum. Antec. verò, quia communiter negatur, suadetur sic juxta dicta: attributa proptiè talia sunt, quæ diversis respondent accidentibus in creaturis: sed immensitas, & omnipotentia sunt attributa propriè talia: ergò diversis respondent accidentibus, scilicet imensitas correspondet locationi rerum, & omnipotentia respondet modo operandi, & producendi creato: sed quæ diversis respondent, virtualiter distincta sunt: ergò &c. Min. assumpta constat de distinctione attributorum ab essentia, & à se invicem in sententia Thomistica.

Confirmatur ex S. Thoma, qui de immensitate DEI priùs agit, quàm de omnipotentia, ùt patet ex Prologo *quæst.* 7. hìc, ubi post perfectiones DEI, ùt ipse loquitur, *considerandum est de ejus infinitate, & justitia in rebus omnibus; attribuitur enim DEO, quòd sit ubique, & in omnibus rebus* NB. *in quantum est, incircumscriptibilis, & infinitus.* Non

ait, in quantum est *Omnipotens*, in quantum operatur in omnibus. Dein primùm *quæst. 25.* agit de potentia DEI, & ibi *art. 3.* quærit, an DEUS sit omnipotens? ex quo fieri potest argumentum: ubi de uno agitur, & non de altero, potest unum cognosci, non cognitô alterô: sed ita contingit in immensitate, & Omnipotentia; atque per hoc supponitur distinctio virtualis, ubi diversis conceptibus aliud, & aliud correspondet in Divinis: ergò &c. insuper certum est, quòd ratione nostra operari sequatur potentiam in Divinis; si ergò immensitas præsupponitur ad potentiam, vel maximè præsupponitur ad operari ubique: ergò habetur ubiquitas, antequàm intelligatur operatio: est consequenter operatio locatio omninò *impropriè physicè* talis propter contactum virtutis seu positionem effectûs.

83 Ad argumentum Vasquezii, & quidem ad primum respondeo negando antec. ad prob. nego paritatem, quia sol potest agere per virtutem à se diffusam, & sic quamvis non sit præsens immediatione suppositi, est tamen præsens immediatione virtutis, quod non convenit DEO, ùt loquitur S. Thomas hìc *quæst. 8. art. 1. ad 3.* quòd *nullius agentis quantumcunque virtuosi actio procedit in distans, nisi in qnantum illud per media agit: hoc autem ad maximam virtutem DEI pertinet, quod immediatè in rebus omnibus agit, unde NB. nihil est distans ab eo, quasi illud in se DEUM non habeat.*

84 Ex quo nostra conclusio posterior confirmatur: ideò enim DEUS non agit in distans; quia nulla creatura distat ab eo: ergò jam intelligitur esse DEUS in omnibus, antequàm operetur in illis, quia res jam habent in se DEUM, ideóque in illis operatur immediatione suppositi, non virtutis: atque ex his ruit argumentum secundum, & tertium: debet ergò Vasquez priùs ostende-

dere, quòd DEUS ab aliquo ente distet, & sic quod possit agere in distans, quod à nobis nunquam evincet, qui immensitatem, & ubiquitatem præsupponimus operationi, cui insistimus, quamvìs alii Thomistæ, ùt videre est in Ferre, Cavino, & aliis contrarium doceant.

Sentire tamen nobiscum videtur noster Illustrissimus Reding hìc *quæst. 3. art. 4. n. 1.* in corollario, cùm ait, in attributo immensitatis duo posse considerari, quorum substantiam refero I. quòd DEUS sit æternaliter existens cum virtute, & potestate ubique, & infinities exercendi contactum suæ præsentiæ, quo modo immensitas est attributum DEI necessarium. II. Potest circa immensitatem considerari actualis contactus secundùm se, quatenùs se tenet ex parte DEI, éstque ejus actio virtualiter transiens, & indistincta à substantia DEI, neque verò ùt sic est ratio adæquata, ùt alii Thomistæ dicunt, constituendi DEUM præsentem, scilicet *physicè*, & quasi *sensibiliter*, sed ratio existendi in creaturis præter illum contactum importat connotationem creaturæ, scilicet effectûs temporalis per intimum illapsum attacti à Divina virtute, quæ est substantia ejus : sic fermè profundissimus Reding, quæ licèt profunda, vel saltem abstrusa sint, duplicem tamen illam DEI in creaturis præsentiam distinguunt.

Referuntur consectanea ex dictis.

Cùm DEUS sit rebus omnibus per immensitatem præsens, & quasi intimè illapsus, dicitur metaphysicè in loco juxta nos, seu non distare à rebus, & si intelligatur posteà ùt operans, suô modô est physicè in rebus, & quasi in loco. Ex quibus

Infertur I. quòd DEUS in Incarnationis Mysterio ratione unionis Hypostaticæ sit præsens humanitati dupli- 85

ci modo. Primò quatenùs terminat naturam humanam ſuâ ſubſiſtentiâ Divinâ, intiméque per modum termini activè terminantis ſit conjunctus cum humanitate tanquam termino paſſivo, ſeu naturâ terminatâ. Secundò; quia ut illa terminatio fieret, opus erat actione unitiva reſpectu ſubſiſtentiæ Divinæ, & naturæ humanæ: unio autem facta eſt mediante actione Divina formaliter imanente, & virtualiter transeunte, eáque communi toti Sanctiſſimæ Trinitati, vi cujus DEUS alio modo erat præſens in hoc Myſterio.

Infertur II. quòd DEUS etiam ſpeciali modo præſens ſit creaturæ rationali per gratiam ſanctificantem; cùm enim ſit formalis participatio Divinæ naturæ, DEUS non adeſt communi modô, ſed communicando quodammodò ſuam naturam, quatenûs creaturam ſui imagine, ùt loquitur S. Thomas exornat, & ſic non tantùm in genere cauſalitatis, ſed etiam idealis eſt in creatura.

Infertur III. quòd DEUS actu non ſit in ſpatiis imaginariis; cùm enim ſpatia illa nihil in re ſint, non poteſt aliquid eſſe in nihilo, quod in communi Thomiſtarum ſententia, vi cujus DEUS unicè, & formaliter in loco eſt per operationem, manifeſtum eſt; nam ibi tantùm juxta ipſos DEUS eſt, ubi operatur: ſed de facto in ſpatiis imaginariis non operatur: ergò ibi non eſt. Maj. eſt ratio formalis, vi cujus juxta ipſos DEUS eſt alicubi. Min. eſt clara, quia, ſi DEUS operaretur ibi, non eſſet ampliùs ſpatium imaginarium, ſed reale. In opinione autem aliorum, & noſtra, qui immenſitatem præſupponimus operationi, DEUS etiam actu non poteſt eſſe in ſpatiis imaginariis; quia non poteſt non enti, ſeu nihilo intimè illabi, & eſſe præſens, cùm illa præſentia neceſſariò connotet creaturam exiſtentem. Hinc colliges, DEO ab æterno non conveniſſe, *eſſe ubique*, ſeu, *eſſe in rebus*,

quæ

quæ non erant propter defectum connotati termini. Si ergò supra Cœlum Empyreum, quod in systemate Peripatetico est supremum, centum alios mundos fingas, non tamen DEUM illis actu præsentem evinces. Si autem ex S. August. super *Psal. 122.* quæres: *Antequam DEUS faceret cœlum, & terram, ubi habitabat? & antequam faceret Sanctos, ubi habitabat?* Respondet & sibi, & tibi: *in se habitabat DEUS, & apud se est DEUS.* Conformiter S. Bernardus *lib. 1. de Consideratione. cap. 6.* quærit? *Ubi erat DEUS, antequàm mundus fieret*, respondet: *non est, quod quæras ultrà, ubi erat? præter ipsum nihil erat: ergò in se ipso erat:* ergò, infero, non erat in spatiis imaginariis.

Dices I. *Inferes tertium* esse contra S. Thomam; nam 86 *Quodlibeto II. art. 1. in Corp.* ait: *hujusmodi dicuntur esse ubique, quia sunt. DEUS autem non solùm in his, quæ sunt, sed etiam in imaginatis.* Denique concludit, & infert ex disparitate creaturarum, & DEI: *ergò DEUS non solùm est in illis, quæ sunt, fuerunt, & erunt, sed etiam in illis, quæ possunt imaginari.* Idem docet in *1. ad Hanibaldum dist. 37. q. 2. art. 2. in Corp.* ubi comparationem instituit inter tò *semper*, & *ubique* in hoc: *sicut hoc adverbium SEMPER non solùm refertur ad omne tempus, quod est vel erit, sed etiam ad omne tempus, quod potest imaginari: ita etiam hoc adverbium UBIQUE refertur ad omnem imaginabilem locum:* ergò DEUS etiam vi immensitatis est in spatiis imaginariis; textus enim, ùt aliquis nostrorum ait, tam patentes sunt, ut nullam explicationem admittant, nec responsionem ratione subnixam.

Confirmatur *fortiter*, ùt nonnemo ait, ratione: nam si DEUS non esset in spatiis imaginariis, esset solùm in hoc universo: sed hoc dici non potest; ergò etiam est in spatiis imaginariis. Maj. est clara; nam præter hunc mundum defactò non datur extrà aliquid præter spatia imaginaria, & si darentur alii adhuc mundi, esset solùm

in iis, & quia infiniti categorematicè non ſunt poſſibiles, erunt adhuc ſemper ſpatia imaginaria. Min. prob. Admitti non poteſt limitatio immenſitatis Divinæ : ſed ſi DEUS eſſet ſolùm in hoc mundo, vel etiam in pluribus, limitaretur, & hoc ipſo non eſſet immenſus : ergò dici non poteſt, quòd DEUS ſit ſolùm in hoc mundo, & non etiam in ſpatiis imaginariis.

87 Reſpondeo, textus S. Thomæ aliud non velle, quàm quòd DEUS in ſpatiis imaginariis etiam ſit virtute & potentia, non actuali præſentia ; quia juxta dicta non poteſt eſſe, ubi nihil eſt, habet tamen virtutem & potentiam eſſendi ibi, ſi producat creaturam, cui inſit ; hinc ſi per impoſſibile poneretur aliqua creatura, ùt rectè advertit Clariſſ. Anteceſſor D. Auguſt. Magg in quocunque ſpatio etiam imaginario independenter à DEO, DEUS ibi creaturæ vi immenſitatis eſſet præſens, non quidem per operationem, ſed per præſentiam indiſtantiæ ; cùm ergò DEUS poſſit per ſe ipſum producere creaturas extra hunc mundum, ſua virtute, & potentia ibi eſt, non tamen præſens, quamdiu adhuc nihil ſunt. Unde apud Illuſt. Reding *cit. loco. num. 27.* S. Auguſt. *lib. de natura boni. cap. 3.* in rem noſtram ait : quòd *DEUS ſit ſupra mundum, & extra mundum non ſpartiis* NB. *locorum, ſed ineffabili & ſingulari potentia,* & in hoc ſenſu locutum fuiſſe S. Thomam, utroque loco contra nos citato tenet Author ; proin textus illi admittunt explicationem commodam, & reſponſionem ratione ſuffultam, niſi fortè S. Thomas ſine ratione dixerit hìc in *Summa art. 1. in Corp.* ad finem : *per ſe igitur convenit eſſe ubique alicui, quando tale eſt, quod qualibet poſitione facta ſequitur illud eſſe ubique,* & NB. *hoc propriè convenit DEO, quia* NB. *quotcunque loca ponantur, etſi ponerentur infinita præter iſta, quæ ſunt, oporteret in omnibus eſſe DEUM, quia nihil* NB. *poteſt eſſe niſi per ipſum ; ſic igitur eſſe*

ubi-

ubique primò, & per se convenit DEO, & est proprium ejus &c. ergò antequàm ponatur res in imaginariis, actu ibi non est DEUS, sed tantùm virtute & potentia. NB. *oporteret*; nam si actu ibi jam esset, ubi loca poni possunt, non oporteret ibi esse, cùm jam ibi sit, antequàm juxta Adversarios ibi loca ponantur.

Ad confirmationem dico, supposito, quòd non de- 88
tur alius mundus extra hunc, vel etiam si darentur alii, concedo Maj. nego min. ad prob. conc. Maj. nego min. quia DEUS semper est immensus virtute & potentia, qualis erat ab æterno, quòd verò alios mundos, vel alia loca non producat, ut in iis esset, quis interrogabit eum, cùm ad extra operetur liberè, aut non operetur? & quare non etiam dicis, omnipotentiam esse limitatam, cùm DEUS ista solùm præsentia produxerit; potuerit autem ab æterno plures, & plures mundos producere, & adhuc in infinitum possit, nunquid quia ipsi liberum est? pro quo repetendum est, quod diximus suprà scilicet aliqua attributa esse solùm ad *intra*, sicut est æternitas &c. alia verò esse ad *extra*, utì omnipotentia, & immensitas, quæ quamvis *signatè* necessariò conveniant DEO, non tamen ùt *exercitè* spectata, id est, DEUM esse omnipotentem actu creando, esse ubique exercitè, cùm, sicut primum est DEO liberum, ita alterum non possit esse necessarium. Hæc igitur attributa quoad denominationem exercitam dependent à termino, & de DEO dicuntur ex tempore: sicut ait S. Th. in *1. sent. distinct. 17. quæst. 2. art. 3. Dominus & Creator, & hujusmodi relationes actuales sunt, & exigunt actu utrúmque extremum existere: sicut ergò non dicitur operari in rebus ab æterno, ita neque esse in rebus, quia hoc operationem ejus designat.* Ex quibus patet, quòd immensitas quoad exercitium non necessariò conveniat, sed liberè, neque hoc DEO officere. Dein dum in principio erat

Verbum, & Verbum erat apud DEUM, ubi erat Verbum? nullibi locorum, & DEUS juxta S. Auguſt. *cit.* habitabat ſecum, & non erat in ullo loco ſine detrimento immenſitatis ſuæ ſignatè ſpectatæ, utì de omnipotentia diximus.

ARTICULUS VI.

De Æternitate DEI.

DUo plerumque hìc quæri ſolent I. quomodò ratio durationis, & menſuræ æternitati conveniant? II. quod oppidò difficile eſt, quomodò futura ſint in æternitate: atque hanc quæſtionem ideò aliqui priùs examinant, ut ex illa immutabilitatem probent; cùm econtra alii priùs immutabilitatem aſſerere conentur, ut ex illa æternitatem evincant; putant enim, ſtabilita ſemel immutabilitate, de æternitate non ampliùs dubitari poſſe. Nos de immutabilitate priùs agimus conformiter ad poſteriorem opinionem; Suppoſito enim, quòd exiſtat, & quidem à ſe ipſo cum plenitudine eſſendi, & ſic omnes perfectiones contineat, neque in ullo mutabilis ſit, aut deficere poſſit, erit æternus. Cùm autem immutabile reſpiciat tanquam oppoſitum mutabile, ídque à ſe excludat.

89 Notandum eſt, quòd mutatio ſive potiùs mutari univerſim variè poſſit contingere, plerumque tamen triplex modus attendi ſoleat. Primò fit mutatio *propriè*, dum ſubjectum jam in ſe exiſtens tranſit ab uno ad alterum extremum realiter diſtinctum, amittendo prius, quod habuit, & aſſumendo alterum, quod prius non habebat, ùt contingit in mutationibus phyſicis, ubi ſubjectum mutatur amittendo formam ſubſtantialem priorem, & accipiando aliam: vel dum ſubjectum ab uno accidente tranſit ad alterum v.g. à nigredine, ad albedinem &c. Secundò *uiniùs propriè*, ùt ſentiunt alii, & rectè cum Carnihi-

dinale noſtro Aguirre hìc *diſp. 33. ſect. 1.* fit mutatio, quando ſubjectum definit eſſe, vel incipit, ùt contingit in annihilatione & creatione, & quia ibi non eſt ſubjectum commune mutationis, non poteſt dici vera mutatio phyſica, quæ ſupponit neceſſariò ſubjectum, in quo exerceatur. Quò etiam reducitur totalis converſio unius ſubſtantiæ in aliam, ſicut credimus contingere in conſecratione panis & vini, ubi tota ſubſtantia convertitur in Corpus Chriſti, & tota ſubſtantia vini in Sanguinem ejus, omnino nihil ſubſtantiæ prioris remanente, exceptîs ſolîs accidentibûs, in quo conſiſtit Myſterium Evchariſtiæ.

Tertiò fit mutatio, quæ communiter dicitur intentionalis, quando mutatur decretum ad propoſitum, quod antea quis conceperat, & hoc vel maximè contingit in voluntate humana tam inſtabili, & infirma, dum ab uno ſeriò quidem propoſito tranſit ad aliud, quod antea non placuit. Ex his mutationis exemplis colligenda eſt immutabilitas, quam diu enim ex parte DEI nihil ſimile contingit, vel quoad prædicatum aliquod ſubſtantiale, aut accidentale, nec quoad decretum, DEUS immutabilis eſt, de quo aliàs ſolet agi in *tract. de Incarnat.* Verbi Divini contra Hæreticos, præſertim Apollinarem, ùt refert Cyrillus Alexandrinus *lib. de recta fide ad Theodoſium Imperatorem:* ſenſit autem Hæreticus ille, quòd in Incarnatione Divina Verbi natura in Carnem Chriſti fuerit converſa, & ſic realiter mutata. 90

Dico I. DEUS eſt abſolutè immutabilis in quocunque genere. 91

Prob. I. ex ipſo Oraculo Divino ſuprà cit. Exodi 3. v. 14. *Ego ſum, qui ſum*, in quod S. Auguſtinus *lib. de natura boni contra Manichæos* ait: *Verè ipſe eſt, quia immutabilis eſt*, pro quo alii ex Script. & SS. PP. textus adducunt innumeros, præſertim noſter Aguirre *cit. loc.*

Prob.

Prob. II. ratione: quidquid DEUS est, illud est per essentiam: ergò DEUS non potest mutari. Antec. suppono, consequentiam probo. Si DEUS omne, quod est, est per essentiam, omne quod DEUS est, est DEO identificatum: sed quod semel identificatum est, non potest avelli: ergò nec DEUS potest mutari. Discursus fundatur in communi Philosophiæ principio, quòd nihil identificatum cum altero separari possit, nisi totaliter destruatur, quod in DEO repugnat, qui non agnoscit ullum principium supra se destructivum, nec habet contrarium à quo corrumpi possit, quòd verò DEO nihil perfectionis possit accidere, vi cujus mutari dicatur, diximus suprà.

Potissima difficultas in hac materia exsurgit ex Mysterio Incarnationis, & ex creatione mundi: illud alibi examinari debet scilicet de Incarnatione, poterit fortè colligi etiam ex ratione posterioris, quod in eo consistit: juxta S. Script. Creatio non tribuitur DEO ab æterno, sed in tempore, ùt clarè patet ex Psalmo 89. v. 2. *Priusquàm montes fierent aut formaretur terra aut orbis, à sæculo usque in sæculum tu es DEUS.* Propter quod, ùt refert Cardinalis Aguirre hìc *sect. 3. num. 35.* Origenes aliàs vir summi ingenii admisit, mundum exstitisse ab æterno, atque hoc ideò, ne DEUS ullam mutationem subiret, si diceretur, mundum creâsse in tempore. Imò nec S. Augustˢ. quidquàm circa hanc materiam decidit, & aliàs videtur esse ratio urgens; nam cùm juxta Thomistas DEUS agat actione *formaliter* immanente, & tantùm *virtualiter* transeunte, ipsáque DEO sit identificata, videtur DEUS agere ab æterno, mutuandus, si ageret in tempore. Ad primum

92 Respondeo, DEUM agere per intellectum & voluntatem, mundúmque ab æterno decrevisse, sed ponendum in tempore, & sic de aliis dicendum est, quæ modò contingunt: est ergò ab æterno creans quoad effectum pro

suo

ſuo libitu citiùs aut ſeriùs ponendum, non autem exercitè *Creator* dicitur, niſi dum adeſt connotatum, ſeu creatura, ùt paulò ante meminimus, ita diximus de Incarnatione, quòd DEUS in ſe fuerit terminans naturam humanam, ſed pro tempore ſibi placito exercendam. Ratio utriusque eſt; quia decreta ab æterno ſunt, nec poteſt in tempore aliud alteri ſuccedere, aliàs DEUS mutaretur ùt homo, quod indignum eſt.

Dico II. DEUS eſt æternus, & vî æternitatis ſuæ 93
omnes creaturas præteritas, præſentes, & futuras habet ſibi præſentes. Concluſio ùt jacet eſt communis, & Catholica, erui etiam poteſt ex priori, & aliàs, cùm DEUS ſucceſſivè cognoſcere non poſſit, omnia ſimplici intuitu comprehendit. Sed quia ulteriùs inquiritur, an vî æternitatis omnia illa ſint DEO præſentia *phyſicè*, quamvìs in menſura aliena, vel tantùm *objectivè*, quod ultimum appellat ſupra ſcientiam DEI. Primum Thomiſtæ communiter defendunt hodie, quamvìs antiquiores negaverint, Scotus autem cum ſuis, & RR. communiter tantùm admittunt ſecundum, quod, ut clariùs appareat, utriusque ſententiæ rationes audiamus, quæ afferuntur, aut ſaltem afferri poſſunt, faciliùs poſteà intellecturi, cuinam parti accedendum ſit.

Pro objectiva tantùm præſentia contra phyſicam poteſt eſſe primò : juxta communem SS. PP. & in aliis etiam Theologorum datur in DEO præſcientia futurorum : ergò DEO non ſunt præſentia phyſicè. Antec. ſuppono, & eſt ex S. Thoma *quæſt. 1. de veritate. art. 3.* ubi: *futura contingentia, antequàm ſint, præexiſtunt in duobus nempe in præſcientia Divina, & in cauſis creatis*, ſcilicet in cauſis jam per decretum determinatis : ſed neutrobique ſunt phyſicè, ſed tantùm objectivè.

Idem colligo ex S. D. *1. 2. quæſt. 91. art. 1. ad 1.* ubi quæ- 94

rit de lege æterna, & objectioni primæ, quòd scilicet lex aliquibus imponatur; cùm autem ab æterno nemo fuerit; solus enim DEUS est ab æterno; lex non potuit imponi ab æterno: ergò nulla lex est æterna.

Respondet S. Thomas: dicendum, *quòd ea, quæ in se ipsis non sunt, apud DEUM existunt* NB. *in quantum ab ipso sunt cognita, & præordinata.* Idque probat ex Apostolo dicente ad Rom. 4. *Qui vocat* (scilicet DEUS) *ea quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt.* Dein concludit: *sic igitur æternus Divinæ legis conceptus habet rationem legis æternæ, secundùm quod à DEO ordinatur ad gubernationem rerum, ab ipso præcognitarum.* Lex ergò in se æterna fertur in res præcognitas, & vî decreti futuras, necdum tamen physicè existentes etiam in mensura aliena. Dein consequenter ad alia, res futura per hoc solùm distinguitur à possibili juxta Thomistas, quòd futura subsistet decreto Divino, per quod ordinatur ad existendum aliquando determinato tempore, non item res possibilis, ùt patet ex Logica de futuritione rerum, ubi non recurritur ad præsentiam physicam in æternitate, quam res futura habet, nec tamen habet possibilis, & aliàs Thomistæ contra RR. non admittunt in DEO cognitionem rerum futurarum contingentium certam, & infallibilem, nisi præsuppositô decretô Divinô, in quo solo tanquam infallibili, DEUS videt aliquid determinatè futurum: sufficit ergò, quòd futura sint DEO *objectivè* præsentia, cùm in decreto ab æterno viderit, quid futurum sit quando & quomodò.

95 Nulla res contingenter existens in aliquo determinato tempore existit ab æterno: ergò nec ab æterno coëxistit DEO: Antec. est de fide, asserente S. Thoma: *mundum non fuisse ab æterno sola fide teneri.* Consequentia prob. Nihil potest alteri coëxistere, quod non existit in se; nam coëxistentia necessariò importat duo simul existentia: sed

ſed res futura non exiſtit in ſe ab æterno : ergò nec poteſt DEO coëxiſtere.

Nec dicas, rem quidem futuram non exiſtere ab æter-96 no in menſura propria, quæ eſt adæquata menſura illius, ſcilicet tempus, in quo taliter exiſtit, qualiter antè non exiſtebat, exiſtere tamen in menſura æternitatis tanquam communi menſura, & omnia ambiente.

Nam contra eſt, exiſtere ab æterno in menſura illa éſtne coëxiſtere ſemper, & absque principio, aut tantùm coëxiſtere æternitati, tunc primùm, quando adeſt exiſtentia propria? Primum dici non poteſt, quia aliàs creatura eſſet ab æterno, quod eſt contra fidem ; nam ipſe S. Th. *quæſt. 61. art. 2. in Corp.* clarè ait : *quòd ſolus DEUS Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt ab æterno ; hoc enim fides Catholica indubitanter tenet, & omne contrarium eſt ſicut hæreticum refutandum.* Alterum autem admittunt omnes, quod ſcilicet æternitati coëxiſtat res, quæ exiſtit in menſura propria.

Tertiò Anti-Chriſtus non aliter modò eſt præſens DEO, niſi præcisè ùt prævisus, & in decreto permiſſivo quoad malitiam ejus, & ſic eſt futurus : ergò non phyſicè ab æterno coëxiſtit DEO. Prob. antec. Videtur impoſſibile, quòd aliquid abſolutè, & ſimpliciter non exiſtens coëxiſtat æternitati : ſed Anti-Chriſtus hodie abſolutè & ſimpliciter non exiſtit, quamvìs exſtiturus ſit aliquando : ergò non coëxiſtit æternitati, differtque ab alio poſſibili ſolùm, quòd in præſentia DEI ſit, ſubſtétque decreto, & futuritioni cauſali.

Dein ideo creatura ſemper coëxiſteret æternitati, quia illa eſt indiviſibilis, & tota ſimul : ſed hæc ratio non probat intentum : ergò. Nam ſequeretur, quòd creatura præterita & futura eſſet etiam ævo Angelico præſens, in quantum ſcilicet ævum Angeli ſe ad aliud & aliud re-

rum tempus extendit : hoc autem est contra communem : ergò &c. Sequela probatur : quia etiam ævum Angeli est indivisibile, & totum simul, consequenter coëxistit aliis & aliis rebus, hoc autem admisso Angelus etiam futura & præterita cognoscit, quod est contra S. Thomam, qui Angelis negat futurorum cognitionem juxta Scripturam, ubi Christus *Marci 13.* ait : *de die autem illo* (scilicet extremo) *nemo scit, neque Angeli DEI.*

Quartò denique : si præterita, & futura essent in æternitate DEI præsentia, sequeretur, quòd simul stare possit, rem esse præsentem in æternitate, & non esse præsentem : sequela prob. modò datur negotio, seu potiùs privatio cujusque rei olim futuræ, ac etiam præteritæ ; quia futura nondum existit, & præterita non ampliùs est, & sic utriusque negatio coëxistit æternitati : sed juxta alteram sententiam etiam res præterita & futura coëxistit æternitati : ergò simul æternitati coëxistent res præterita & futura, simúlque utriusque negatio, nec huic sententiæ desunt SS. PP. quos magno numero Antiquiores Thomistæ, & ex illis Recentiores allegant. Præsertim S. August. *lib. 15. de Trinitate. cap. 7.* clarè videtur loqui de præsentia tantùm objectiva sic : *ita DEUS novit omnia, ut neque ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, neque ea, quæ dicùntur futura, quasi desint, exspectentur, ut veniant : sed præterita & futura cum præsentibus, sint cuncta sunt præsentia*, & S. Prosper ejusdem Discipulus, qui utique noverit Magistri sui mentem *lib. 2. de vocatione gentium. cap. 34.* ait : *scientiam DEI, quæ & præterita & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu ejus stare ea, quæ gerenda sunt, quàm illa, quæ geruntur, aut gesta sunt.* Ubi sicut in aliis textibus semper fit mentio de præsentia objectiva, ita in scientia DEI, nihil de illa physica.

Refer-

Refertur altera ſententia.

AUthores hujus ſententiæ, ut diſtinctiùs procedant, du- 97
plicem aſſignant futurorum præſentiam in DEO, ſicut Philoſophi duplex genus præſentiæ diſtinguunt, unam vocant realem, & phyſicam, quando res ſunt extractæ è potentia cauſarum, in quibus priùs continebantur; alteram vocant intentionalem & objectivam, in quantum res eſt in mente cognoſcentis : prima ergò præſentia futurorum in DEO eſt objectiva juxta ipſos, quatenùs ſciuntur à DEO, & ſic intentionaliter ſunt in ipſo. Altera eſt Phyſica, & realis ratione æternitatis, quæ ùt menſura prima & ſuprema, atque infinita continet omnes durationes inferiores, & quidquid in illis exiſtit. Inſuper juxta Cardinalem Aguirre hìc, ſingularem hujus ſententiæ Patronum præſentia phyſica tripliciter accipi poteſt. Primò quaſi futura producta fuerint ab æterno, ita, ut productio illa prævenerit temporalem, & poſitionem extra cauſas, ſed hoc non admittunt Authores iſti ex eo, quod in priori articulo diximus, quia aliàs contra fidem res eſſent productæ ab æterno. Secundò futura conſiderari poſſunt, ac ſi continerentur per adæquatam coëxtenſionem ipſorum ad æternitatem, ſicut ſi daretur tempus infinitum, coëxtenderetur æternitati, ſed & hoc non admittunt. Eſt ergò tertiò alius modus præſentiæ, quo ſcilicet per extenſionem æternitatis ad illud tempus determinatum, in quo quælibet res futura ponenda eſt extra cauſas : jam ne æternitas ſuſpenſa ſit usque ad temporalem productionem, dicunt, æternitatem jam in actu ſecundo quoad coëxiſtendum quibuscunque futuris ratione ſuæ extenſionis infinitæ jam præſentes habere res, quia ab æterno præoccupat omnes differentias temporis, ita, ut nulla mutatio ſit ex parte æternitatis, tota viciſſitu-

dine, se tenente ex parte creaturarum. Vel clariùs juxta hanc sententiam æternitas infinita jam in se actu complectitur futura, & omne tempus; ideóque habet sibi omnia physicè præsentia, ut aliquando respectivè ad se invicem se habitura sunt. Et hinc

98 Argumentum est I. SS. PP. negant DEO præscientiam futurorum ex eo, quòd omnia præsentia habeat: sed non rectè negarent, si futura solùm haberet *objectivè* præsentia: ergò DEUS habet futura *physicè* sibi præsentia. Maj. prob. Præsertim ex S. Anselmo in *Prosologio. cap. 20.* docente, æternitati Divinæ semper esse præsentia, quæ in se ipsis DEO in mensura propria nondum existunt, unde de concordia præscientiæ *cap. 1.* ait: *sicut præsentia non in DEO dicitur propria, ita nec prædestinatio; quia illi nec anteà, nec post aliquid est, sed omnia sunt illi præsentia simul.* Quod in aliis sæpè confirmat, & hoc ex S. Augustino hausisse videtur, qui *tomo 4. lib. 2. QQ. ad Simplicianum. quæst. 2.* ait: *quid est præscientia, nisi scientia futurorum, quid autem futurum est DEO, qui omnia supergreditur tempora?* Dein velut ex absurdo contra negantes argumentatur, *si futura DEO præsentia non sunt: bis ea intelligit, uno quidem modo secundùm futurorum præscientiam, alterô verò modô secundùm præsentium scientiam: aliquid ergò temporaliter accidit scientiæ DEI, quod absurdissimum, ac falsissimum est; nec enim potest, quæ ventura præuoscit, nôsse, cùm venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo antequàm sint, & cognoscendo cùm jam sunt.* His Authoritatibus Cardinalis Aguirre hìc *tract. 3. disp. 44. sect. 3. n. 45.* addit alias S. Hieronymi, Ambrosii, Damiani, &c.

Vel maximè urget Authoritatem S. Thomæ hìc *q. 14. art. 13. in Corp.* qui postquàm dixit, quòd æternitas omne tempus ambiat, infert: *unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt DEO ab æterno præsentia*, NB. *non solùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ùt quidam dicunt; sed quia*

ejus

ejus intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Nec juvat, ſi dicas, Sanctum Doctorem ſolùm objectivampræſentiam ex duplici capite admittere, quo ſcilicet primò DEO res ſint præſentes, quatenùs DEUS eas ab æterno ordinavit, earúmque cauſas, quomodò contingenter ſunt olim exſtituræ. Secundò aliter, quòd ipſius intuitus jam actu feratur ſuper res olim ſic & ſic ſecundùm ordinationem exſtituras, ſed tantùm objectivè. Nam

Aſſumitur argumentum: æternitas DEI omnia am-99 bit, & omnem durationem continet: ſed in DEO durationes, vel tempora non tantùm objectivè ſunt, ſed realiter, quia præſentia objectiva eſt purè intentionalis, & ad ſolum intellectum ſpectat, non verò ad attibutum æternitatis: ergò S. Doct. loquitur de incluſione temporum non objectiva, ſed reali.

Confirmatur: ſi futura in æternitate non continentur realiter, inepta eſt ratio S. Thomæ qua utitur ad probandum, omnia ab æterno eſſe Divinæ Menti præſentia ex ambitu æternitatis ad omne tempus; nam in ea non continetur actu tempus futurum, ſed ſolùm in potentia, & quantum eſt de ſe, non erit, cur ratione illius DEUS ab æterno videat tempora futura tanquam præſentia: in attributo enim non continente aliquid de præſenti, non poteſt DEUS intueri aliquid tanquam præſens in ſpeculo, ſi non contineatur actu ſpecies illius in ſpeculo, ſed tantùm in potentia. Dein S. Doct. per illa: *Quia ejus intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate,* apertè hanc præſentialitatem diſtinguit ab illa objectiva rerum, quarum rationes, aut idæas DEUS habet in ſua mente; atque hoc ex eo poteſt evinci, quòd ſtatim anteà *cit. loc.* S. Thomas de contingentibus ita dicat: licèt contingentia fiant in actu ſucceſſivè, non tamen DEUS

ſuc-

ſucceſſivè cognoſcit contingentia: prout ſunt in ſuo eſſe, ſicuti nos, ſed ſimul, quia cognitio ſua menſuratur æternitate, ſicut & ſuum eſſe. Ubi utique expreſsè loquitur de futuris ſecundùm ſuum eſſe phyſicum ac reale, quod absque ulla ſucceſſione docet, ſimul eſſe DEO præſens; nam nihil cognoſci poteſt tanquam præſens ſecundùm propriam rationem, ubi actu & realiter non eſt. Sed hæc omnia facili negotio explicari poſſunt, ſi loquamur de contingentibus in ſuo eſſe conſtitutis, etiam ante ſic DEO præſentibus, ſed objectivè tantùm. Proin

100 Reſpondeo probabiliùs futura DEO non eſſe phyſicè ab æterno præſentia. In quo, cùm opiniones SS. PP. ſint pro, & contra, & ipſe S. Thomas variè loquatur, ùt *Art. priori* vidimus, nihil ex illis efficaciter probatur; imò cùm S. Doct. alibi ſit clarus, in Sum̃a autem dubius, eúmque Thomiſtæ antiquiores pro negativa allegent, præſumitur potiùs ſtare pro illa. Interim

Admitto Sententiæ negativæ rationem 1. 2. & tertiam: inſtantiam de ævo Angeli relinquo in ſuo valore. Rationem quartam non admitto; quia continet falaciam; cùm affirmatio & negatio ibi non cadant ſuper idem; nam juxta affirmantes res futura tantùm eſt præſens phyſicè in menſura aliena, & non propria, & ſic non poteſt ſimul ibi eſſe ejusdem negatio in eodem ſenſu, quamvìs ſit negatio rei futuræ, & exiſtentis in menſura propria, quæ tamen non pugnat cum præſentia phyſica in menſura aliena.

Authoritates oppoſitæ non ſunt claræ & certæ ut vel ideò S. Auguſt. pro affirmativa relatus efficaciter non probet, cùm alibi ſit contrarius. Nec argumentum, poſito etiam, quòd ſit reverà Auguſtini aliquid evincit, dum ait: *aliquid ergò temporaliter accidit Scientiæ DEI*; nihil enim accidit DEO, dum Creator in tempore dicitur, niſi de-

nomi-

nominatio extrinseca; nihil accidit immensitati, dum novum ens producitur, cui DEUS adsit: ergò nec scientiæ aliquid accidit, quando cognoscit creaturam futuram, & tantùm præsentem in mensura aliena, posteà cognoscit in mensura propria existentem, & non ampliùs futuram, ponitur enim solus novus terminus Scientiæ. Sed hæc tantùm ad hominem.

Ad Authoritatem S. Thom. sustineo responsionem suprà datam ad assumpt. concedo Maj. nego min. ad causalem dico, objectivam præsentiam pertinere ad utrumque attributum, sed alio modo; nam S. Thom. ut probaret, creaturas esse DEO ab æterno præsentes, priùs adstruxit cognitionem futurorum, postquàm enim in *Corp. cit. quæst. artic. 13.* dixit: DEUM non solùm cognoscere contingentia prout sunt in suis causis, addit: *Sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso.* Et licèt contingentia successivè eveniant quoad nos, non tamen quoad scientiam DEI, quia in sua cognitione mensurantur æternitate, quæ omnia continet. Et post hanc explicationem primùm infert illud citatum: *Unde omnia* ex ratione, *quia ejus intuitus fertur super omnia ab æterno.*

Ex his colligitur, quòd cognitio futurorum in DEO 101 simpliciter talis attribuatur scientiæ, quòd verò cognitio DEI futura simul attingat, refunditur in æternitatem, ex quo sequitur, quòd creaturæ ab æterno sint DEO præsentes ùt in se ipsis jam in Decreto Divino ordinatæ sunt ad existentiam aliquando in tempore acquirendam.

Dices. Juxta S. Thomam DEUS cognoscit unumquodque eorum, ùt est actu in se ipso, & prout sunt in sua præsentialitate: ergò contingentia jam sunt DEO physicè præsentia.

Respondeo conc. antec. nego consequentiam, nisi insistendo verbis, ùt jacent, velis inferre, quòd jam ab

æterno cognoverit, ùt in se ipsis in propria mensura, in propria præsentialitate, quod est dicere creaturam coëternam DEO; Verba autem id significant, cùm tamen altera sententia tantùm velit præsentialitatem physicam alienam : etsi aliter intelligas, scilicet, quod ibi jam sint præsentes secundùm suum esse actuale, desítque præcisè existentia, & mensura propria, iterum nego, quia iterum aliquod ens reale creatum ab æterno admittis. Quid enim est, physicè mensurari ab æternitate, si res ibi actu non est, si autem ibi actu est, & semper fuit, ab æterno fuit aliquod ens reale creatum.

102 Non videntur Thomistæ consequenter loqui ad Philosophiam præsertim Aguirre in *Physica disp. 28. sect. 1. n. 6.* ubi quæstio est, an essentiæ rerum ab æterno habeant aliquam realitatem, vel actualitatem saltem diminutam? quam dum aliqui admittunt, contrarius est Aguirre cum communi Thomistarum innixus textui S. Thomæ à nobis relato, nempe *1. p. q. 61. a. 2. in Corp.* qui textus AA. non potest non esse gravis, & vel ideo ad nauseam illorum repetendus; quærit enim ibi S. D. *utrùm Angelus sit productus à DEO ab æterno?* Et respondet negativè ex hac ratione : *sic enim DEUS creaturas produxit, quòd eas ex nihilo fecit, id est, postquàm nihil fuerant.* Si ante productionem nihil fuerant, quomodò poterant tunc DEO physicè esse præsentes? si tamen pertinaciter insistas, cogêris etiam admittere negationes & privationes rerum DEO ab æterno fuisse præsentes physicè saltem in mensura aliena, à fortiori hoc debebis admittere de creaturis possibilibus, quod quàm absurdum sit, nemo non videt. Et hoc latè deduxi in thesibus Philosophicis *art. ult. in Metaphysica*; ratio autem potissima illius, & Suarezii est, quòd principiis fidei contrarium sit, aliquam realitatem, vel actualitatem creaturæ ab æterno admittere, pro quo iterum allegant

S.

S. Thomam *1. part. quæſt. 40. art. 3.* ubi poſt alia S. Thomas concludit; *unde non ſequitur, quòd aliquid extra DEUM ſit æternum.* Subſumo pro nobis: ſed in hac præſentia phyſica ab æterno aliquid extra DEUM, ſeu præter DEUM eſſet ab æterno, quod tamen principiis fidei contrarium eſt. Manet ergò præſentia futurorum objectiva in decreto, per quod diſtinguuntur à poſſibilibus.

QUÆSTIO III.

De cognoſcibilitate ſeu viſione DEI.

POſtquàm actum eſt de DEO, & attributis quoad ſe, vel, ùt loquitur S. Thomas hìc *quæſt. 12.* in Prologo qualiter DEUS ſit ſecundùm ſe ipſum, reſtat conſiderandum, qualiter ſit in cognitione noſtra, id eſt, quomodò cognoſcatur à creaturis? Hìc autem non loquitur de cognitione DEI abſtractiva per creaturas, ùt ab initio, ſed de cognitione per eſſentiam juxta titulum S. Thomæ in *art. 1.* ſcilicet utrùm aliquis intellectus creatus poſſit DEUM videre per eſſentiam, ut proin ſit quæſtio tam de intellectu Angelico qualitercunque poſſibili, & perfecto, quàm de humano, pro quo ſit

ARTICULUS I.

An intellectus creatus poſſit elevari ad viſionem DEI per eſſentiam?

COntrarium erat olim aliquorum Hæreticorum apud S. Gregorium Magnum in *lib. 12. Moralium. cap. 38.* Et videtur ipſe S. Th. hoc *art.* illos refutare in *Corp.* dum ait: *dum unumquodque ſit cognoſcibile, ſecundùm quod eſt in actu, DEUS, qui eſt actus purus absque omni permixtione po-* 103

tentiæ, quantùm in se, est maximè cognoscibilis est. Dein assumit: sed quod est maximè cognoscibile in se, alicui intellectui cognoscibile non est, pro quo est paritas in sole, qui propter excessum luminis à vespertilione videri non potest: & hoc erat, quod contrarios permovit, ut intellectui creato essentiam Divinam cognoscendam negaverint.

104 Nec sine ratione; nam *1. ad Timoth. 1.* dicitur: *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli honor & gloria.* Et iterum cap. 6. ibi v. 16. *Qui solus immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit*, NB. *sed nec videre potest.* Accedit ratio I. Essentia Divina tam entitativè, quàm in esse objecti est infinita: ergò non potest intellectus creatus illam attingere. Antec. supponitur, consequentia probatur: Ubi nulla est proportio inter cognoscibile, & cognoscens, non potest cognoscens attingere alterum: sed inter essentiam Divinam tanquam cognoscibilem, & inter intellectum creatum tanquam cognoscentem nulla est proportio; qualis non est inter infinitum, & finitum: ergò non potest intellectus creatus essentiam Divinam attingere.

Secundò non potest intellectus creatus elevari ad cognoscendas omnes res possibiles, seu ad collectionem earum: ergò nec potest elevari ad cognoscendam essentiam Divinam. Antec. supponitur; quia ad illam cognitionem necessaria esset virtus infinita. Consequentia prob. Essentia Divina tam in esse entis, ùt dictum est, quàm in esse objecti habet infinitam perfectionem, & quidem per essentiam, creaturæ autem possibiles non habent perfectionem infinitam, & per essentiam: ergò si intellectus creatus non potest attingere omnes creaturas possibiles, multò minùs poterit attingere essentiam Divinam. Sed tamen

Di-

Dico I. intellectus creatus potest elevari ad videndam 105
Divinam essentiam. Sententia est S. Thomæ hìc in Responsione *sed contra* ex illo 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Et passim alibi in Script. & clarissimè in 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Prob. I. ratione desumpta ex S. Thoma hìc in *Corp.* quam suprà jam attigimus: creatura rationalis debet posse attingere suum ultimum finem: sed ultimus ejusdem finis est, DEUM videre per essentiam: ergò sic debet posse attingere DEUM. Maj. videtur clara; si enim intellectus non posset attingere finem suum ultimum, frustraneus esset illius appetitus, ab ipso DEO inditus. Min. est S. Thomæ, quia, si videre essentiam DEI non esset finis ultimus creaturæ rationalis, deberet ejus beatitudo in alio, quàm in DEO consistere, quod SS. PP. præsertim hìc S. Thomæ est alienum à fide.

Confirmatur. Ultima perfectio creaturæ rationalis est ejusdem principium essendi: sed principium essendi est DEUS: ergò debet illud posse consequi, & cum eo conjungi; quia in tantum est aliquid perfectum, in quantum suum principium attingit; si ergò creatura non posset attingere DEUM per essentiam, ille non rectè diceretur ultima ejusdem perfectio.

Nec dicas: ad assecutionem finis non esse necessa- 106
rium, ut finis immediatè in se ipso attingatur, ideóque sufficere, quòd intellectus creatus attingat essentiam DEI in aliqua luce ab essentia Divina derivata.

Nam nego absolutè totum assertum; quia sequeretur manifestè, quòd beatitudo consisteret in alio à DEO realiter distincto, quod est alienum à fide. *Cùm apparuerit* dicitur 1. Joan. 3. *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*; non lucem ab illo derivatam, sed eum ipsum videbimus. Si verò AA. intelligant per lucem illam lu-

men gloriæ, admitti potest, quòd per lumen illud visuri simus DEUM, ejúsque essentiam, quia reverà intellectus noster elevabitur per lumen, non tamen ut lucem aliquam derivatam solùm videamus, sed mediante luce ipsam essentiam.

107 Probatur II. Divina essentia continetur sub adæquato objecto intellectûs: ergò potest ille elevari ad ejusdem cognitionem, ùt est in se. Consequentia est clara. Antec. prob. omne verum continetur sub objecto adæquato intellectûs, si non motivo, saltem terminativo: sed essentia Divina est primum, & substantiale verum: ergò continetur, sub objecto adæquato intellectûs, non itaquidem, ut possit eam viribûs naturalibûs assequi, sed elevari per aliquid supernaturale: sicut econtra quia verum non continetur sub objecto adæquato visûs, non potest ille elevari ad cognoscendum verum, quod est extra totam sphæram illius, unde est communis Sententia, quidquid Valentia, & Ariaga dicant, quòd oculus corporeus etiam Divinitùs non possit elevari ad videndum DEUM.

Ad Authoritatem oppositam reponderi potest, Apostolum dicere DEUM invisibilem oculô corporeô, vel etiam oculô mentis pro hac vita, & cursu ordinario. Taliter etiam dicitur DEUS inhabitare lucem inaccessibilem, quam nullus homo vidit, nec videre potest scilicet solis viribûs naturæ, eundem tamen ipse Apostolus virtute supernaturali elevatus vidit, dum raptus est in Cœlum tertium, de quo ipse gloriatur, & *vidit arcana, quæ non licet homini loqui.* Ad simile argumentum quod S. Thom. sibi ipsi objicit *hac quæst. art. 1.* ex illo Joan. 1. *DEUM nemo vidit unquam*, quem textum exponit S. Chrysostomus in *hom. 14.* in Joan. & sic concludit: *quod enim creabilis est naturæ, qualiter videre poterit, quod increabile est?* Ex quo etiam Angelis, & Arch-Angelis visionem Divinæ essentiæ

nc-

negat. Idem apud S. Thomam confirmat S. Dionysius *de Divinis Nominibus cap. 1.* S. Thomas autem ad primum ait: *quòd utraque Authoritas loquitur de visione comprehensionis*, ídque probat tam ex Dionysio, quàm Chrysostomo. hic quidem *cit. loco* ait: visionem hìc dicimus &c. *Comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio:* & Dionysius eodem loco ante citata verba ait: *Omnibus ipse est universaliter incomprehensibilis.* Quod apud omnes est certum; quia DEUS à nemine comprehendi potest, quàm à se ipso, & hoc ad similes textus quàm plurimos in S. Scriptura respondendum est.

Ad rationem primam concedo antec. nego conse- 108
quentiam. Vi antecedentis debuisset inferri: ergò non potest intellectus creatus Divinam essentiam comprehendere, non simpliciter attingere. Ad probat. antecedentis concedo Maj. distinguo min. inter essentiam Divinam, & intellectum creatum nulla est proportio Arithmetica concedo min. Geometrica nego min. Arithmetica requireretur ad hoc, ut intellectûs creatus posset comprehendere essentiam Divinam, ut sic esset adæquatio infiniti ab infinito: Geometrica autem sufficit, ut intellectus habeat saltem aliqualem proportionem secundùm gradum ad gradum. Unde ad rationem subjunctam de infinito ad infinitum idem dicendum est. S. Thomas iterum ad talem fermè objectionem ex Dionysio, quòd scilicet DEUS sit supra intellectum, consequenter intelligibilis non sit, hìc *ad 3.* respondet: *Ex hoc non sequitur, quòd nullô modô possit cognosci, sed quod etiam cognitionem excedat, quod est, ipsum non comprehendi.* De proportione autem creaturæ ad DEUM S. Doct. *ad 4.* respondet, distinguendo proportionem in illam, quæ est unius quantitatis ad alteram secundùm duplum, & triplum, quomodò scilicet se habeant ad invicem, & demum æquale, quod arithme-

meticè sumi debet: & in alteram, quæ est habitudo unius ad alterum, *& sic*, ait, *potest esse proportio creaturæ ad DEUM, in quantum se habet ad ipsum, ùt effectus ad causam, & ùt potentia ad actum, & secundùm hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum DEUM.* Quantùm intelligo, vult S. Doctor, non esse quidem proportionem in creatura ad DEUM sicut est inter duo æqualia in quantitate, quia *esse* & *cognoscibile* in essentia Divina infinitô modô transcendunt intellectum creatum, quia tamen intellectus est effectus causalitatis Divinæ, hoc ipso dicit aliquam habitudinem, seu ordinem ad DEUM, & quia in *Corp.* dixit, quod homini insit desiderium cognoscendi causam, cujus effectus est, ideo necessariò dicit aliquam proportionem, scilicet in esse cognoscibilis, & cognoscentis.

Ad secundum respondeo concedo antec. nego cons. ad prob. dico, quòd quidem essentia Divina tam in esse entis, quàm in esse objecti habeat infinitam perfectionem, quæ secundùm omnia non potest per intellectum creatum exhauriri, seu comprehensivè cognosci, non tamen sequatur, quòd nullô modô, saltem finitô, cognosci queat: atque adeò est disparitas inter cognitionem omnium creaturarum possibilium, & essentiæ Divinæ; quia cognitio omnium possibilium deberet ex eo esse infinita, quòd comprehenderet totam essentiam Divinam, ad infinita se extendentem; sicut, qui alicujus causæ creatæ omnes effectus possibiles cognosceret, necessariò deberet comprehendere causam: at verò cognoscere essentiam Divinam ex parte cognoscentis non requirit infinitatem, ut constabit infrà.

109 Interim si objiciatur, argumenta S. Thomæ esse purè naturalia, quia dicit in *Corp. inest homini naturale desiderium &c.* iterum superiùs in *Corp. si nunquam potest intellectus*

vi-

videre essentiam, cùm tamen sit ejusdem Beatitudo. Dicendum est, S. Doct. loqui supposita elevatione &c. Et illud desiderium, quod vocat *naturale*, esse *connaturale*; quia connaturale in genere est, quòd principium supernaturale exigat objectum supernaturale cognoscendum, & quòd videre essentiam DEI sit beàtitudo hominis in statu elevationis. Cardinalis Aguirre *disput 9. sect. 4. num. 39.* hìc argumentum S. Thomæ de appetitu, & desiderio ultimi finis tantùm vocat probabile, aítque, ita sentire nobiliores ejus interpretes. Si autem hoc, tunc nec aliæ ipsius rationes sunt demonstrativæ, ùt aliqui Thomistæ evincere nituntur. Sed stando verbis Aguirre, ratio illa de appetitu merè naturali, neque probabilis est, nisi concurratur ad statum elevationis, & antecedenter ad fidem, aliáque Mysteria cognita. In quo statu homo *connaturaliter*, id est, statui suo convenientem beatitudinem appetit, quæ est DEUS per essentiam visibilis. Unde juxta nos ly *naturale*, quod æquivocum est, non sumitur pro appetitu naturæ quà tali insito, sed pro appetitu elevationem consequente, & potiùs connaturali illi statui, quod S. Thomas clarè docet 1. 2. *quæst. 3. art. 2.* & expressiùs *quæst. 22. de verit. art. 2.* ubi post appetitum naturalem ad finem, & beatitudinem naturalem sufficienter explicatum, ait: *Sed est aliquis finis, ad quem homo à DEO præparatur*, NB. *naturæ humanæ proportionem excedens, scilicet vita æterna, quæ consistit in visione DEI per essentiam*; & post pauca infert: *Unde oportet, quòd homini detur aliquid non solùm per quod inclinetur ipsius appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura hominis elevetur ad quandam dignitatem*, NB. *secundùm quam talis finis sit ei competens, & ad hoc datur gratia, ad inclinandum autem affectum in hunc finem.* Ex quibus dicta, & Authoritate Sancti Thomæ, & ratione firmantur, patétque, quòd rationes Sancti Thomæ in *hoc art.* adductæ non

debeant nudè sumi, sed cum relatione consequentiæ ad alia antecedentia, & subsequentia. Quo modo contra Recentiorum crises firmiter subsistunt.

ARTICULUS II.

An lumen gloriæ suppleri possit per solam assistentiam extrinsecam?

110 DAri lumen gloriæ hodie tam communis opinio est, ut testantibus Salmant. hìc *tract. 2. de visione DEI. disput. 4. num. 4.* nemo præter solum Vasquez neget. Est autem lumen gloriæ qualitas supernaturalis, per modum habitûs permanentis, & intellectum elevantis ad visionem supernaturaliter vitalem eliciendam; cùm enim intellectus creatus ex se non sufficiat ad DEI essentiam videndam, oportet juxta S. Thomam *hìc art. 5. Quòd ex Divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi.* Hanc virtutem communiter Patres vocant illuminationem, seu lumen, de quo *Apocalypsis 21.* dicitur: *Claritas DEI illuminabit eam*, id est, societatem Beatorum, & *Psalmo 5.* habetur: *In lumine tuo videbimus lumen.* Dixi: per modum *habitus permanentis*, quia agimus de lumine Beatorum, ubi sicut visio petit esse permanens, ita ex antecedenti etiam lumen gloriæ, sine quo perpetuitas visionis non subsistit. Hinc S. Thomas *2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2.* post assertam luminis gloriæ necessitatem subdit: *Quod dupliciter participari potest, uno modo per modum formæ permanentis, & sic Beatos facit Sanctos in Patria: alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis &c. sicut dictum est de lumine Prophetiæ, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit.* Et hoc ipsum defendunt aliqui ex nostris, quos in thesibus Menstruis secutus est Clariss. P. Collega Benedictus Schmier ubi hanc materiam fusè, & eleganter pertractat.

Cæ-

Cæterùm lumen gloriæ non ſe tenèt ex parte objecti ùt ſpecies, ſed ex parte potentiæ, habétque duplex officium. Primò ut intellectum determinet: Secundò ut eundem fœcundet, & *ſecundùm hoc lumen*, ait S.D. *cit. art.* 5. *ad finem in Corp. Efficimur DEI formes, id eſt, DEO ſimiles.* Secundum illud 1. Joan. 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus & videbimus eum ſicuti eſt.* Habet ergò vi primi rationem cauſæ formalis intrinſecæ, & ratione ſecundi rationem cauſæ efficientis, quatenùs ad viſionem effectivè concurrit. His ſuppoſitis.

Status quæſtionis eſt, an intellectus lumine intrin- 111
ſeco deſtitutus ſecundùm poteſtatem DEI abſolutam poſſit viſionem eſſentiæ Divinæ elicere? Eadem quæſtio de aliis accidentibus ſupernaturalibus vitalibus eſt, an ſcilicet elici à potentiis poſſint ſine habitu, aut auxilio intrinſecùs inhærente & elevante; imò & de actibus naturalibus in Philoſophia ſimilis eſt quæſtio, an per nudam aſſiſtentiam cauſæ, exclusô principiô intrinſecô, fieri poſſit? & ne fiat confuſio, dum aliqui quæſtiones confundunt, ſciendum eſt, neutiquam eſſe quæſtionem, an actio ſupernaturalis poſſit à ſolo DEO fieri, intellectu creato ſolùm paſſivè habente, nec etiam, an intellectus creatus poſſit intelligere per actum Divini intellectus, aut velle per actum Divinæ voluntatis ſibi intimè communicatum, de quo agitur in *tractatu de Incarnatione*, & ſignanter de ſcientia Chriſti, ubi non pauci hæretici, vel illis ſimiles docuêre, humanitatem Chriſti intellexiſſe per intellectum Verbi, & voluiſſe per voluntatem ejusdem, intellectu, & voluntate humanitatis ſe otiosè habentibûs; cùm tamen de fide certum ſit, duplicem in Chriſto fuiſſe intellectum & voluntatem, duplicémque operationem, ita ut alius intellectus voluntas Verbi, alius intellectus, & voluntas humanitatis in uno tamen ſuppoſito fuerit. Pro ſtatu noſtræ quæſtionis

112 Dico: nec per potentiam DEI absolutam potest intellectus creatus elicere visionem DEI sine lumine, aut alia virtute intrinseca superaddita, consequenter excluditur absolutè nuda assistentia, seu auxilium merè extrinsecum; ita Thomistæ contra communem Recentiorum.

Prob. ex mente aliquorum Recentiorum: si intellectus creatus posset sine lumine intrinseco videre DEUM, tunc DEUS deberet uniri intellectui per modum luminis, sive principii *quo* elevantis intellectum ad eliciendam visionem: sed hoc est contra statum quæstionis, & aliàs impossibile: ergò intellectus creatus non potest sine intrinseco lumine videre DEUM. Maj. est ipsorum, min. prob. quoad primum membrum: si DEUS unitur intrinsecè intellectui per modum luminis, tunc non elicit visionem per puram assistentiam extrinsecam, de qua est quæstio; quia DEUS se haberet per modum principii intrinseci activè *ùt quo* concurrentis: ergò est contra statum quæstionis, éstque sola inter Thomistas, & Recentiores differentia, quod illi aliquod lumen à DEO realiter distinctum admittant, hi verò DEO ipsi hanc rationem luminis intrinseci adscribant. Hoc autem esse impossibile

Prob. II. principio communi Theologiæ, & Philosophiæ: quodvis principium in quacunque linea potentiam aliquam elevans *ùt quo* ad operationem, unitur potentiæ tanquam forma accidentalis: sed impossibile est, ut DEUS uniatur potentiæ tanquam forma accidentalis: ergò est impossibile, ut DEUS subeat rationem principii *ùt quo* elevantis. Maj. apud Thomistas, & alios est certa, & contra Recentiores prob. Ad hoc, ut aliquid operetur, debet necessariò priùs constitui in linea agentium quoad illam sphæram, in qua est actio: sed non potest constitui, nisi per aliquid intrinsecum: ergò quodvis principium ele-

elevans debet uniri potentiæ tanquam forma intrinſeca. Maj. ex eo conſtat, quòd potentia tamdiu maneat intrinſecè improportionata ad operationem, quamdiu ipſi deeſt principium intrinſecum, vi cujus fiat proportionata: ergò à principio operandi ùt ſic deſcendendo ad principium in ſpecie, intellectus creatus erit improportionatus ad viſionem, donec fiat proportionatus per lumen gloriæ, vel aliquid aliud intrinſecum.

Ratio verò de principio ùt ſic eſt Philoſophi *lib. 2. de* 113
anima. textu 29. Et S. Thomæ hìc *quæſt. 76. art. 1. per totum.* erat diverſitas inter Platonem & Ariſtotelem. Ille docuit, animam tantùm extrinſecùs aſſiſtere corpori sícque illud regere: Ariſtoteles autem ſe oppoſuit docendo, animam uniri corpori ùt formam intrinſecam phyſicè informantem, eſſéque reſpectu ſuppoſiti totius principium *ùt quo* operationum vitalium, per quod refellitur error Platonis, & ſequacium; niſi enim dicatur, anima eſſe principium *ùt quo* actionum vitalium, non ſatìs evinci poteſt, quomodò non anima ſit extrinſecè ſolùm aſſiſtens corpori, ùt ſæpè diabolus aſſiſtit corpori, illúdque regit, ſicut contingit in obſeſſis.

Hoc aſſumens S. D. in *cit. loc.* per totum probat, ani- 114
mam eſſe formam corporis intrinſecam, eò quòd ſit principium intrinſecum operationum. Dein poſt alia ait: *ſi quis autem velit dicere, animam intellectivam non eſſe formam corporis,* NB. *oportet, quòd inveniat modum, quo iſta actio, quæ eſt intelligere, ſit hujus hominis actio.* Ex quo argumentamur à pari: ſi anima non eſſet forma intrinſeca corporis, non poſſet dici; hujus hominis; actio enim appellat ſupra ſuppoſitum: ergò etiam, ſi vita intellectiva non eſſet intrinſeca agenti, non poſſet dici, quòd operatio ſit hujus agentis. Ratio utriusque eſt; quia ſi actio viventis eſt ſolùm ab anima-

extrinsecùs assistente, appellatio fiet supra solùm DEUM, non supra totum, quod se merè passivè habet. Ex quo

115 Confirmatur. Assistentia extrinseca non potest facere ex non potente agere, potens agere : ergò lumen gloriæ non potest suppleri per illam. Suppositum antec. prob. quod debeat ex non potente facere potens. Nihil extrinsecum potest ex non potente *intrinsecè* facere potens *intrinsecè*. Quia sicut differentia intrinseca non potest tolli per aliquod extrinsecum, sed necessariò requiritur aliqua determinatio intrinseca ; ita & impotentia intrinseca non potest tolli per aliquid extrinsecum, sed necessariò requiritur aliqua qualitas intrinseca : sed intellectus creatus est intrinsecè impotens ad visionem : ergò non potest per aliquid extrinsecum fieri intrinsecè potens.

116 Si dicas, non opus esse, ut intellectus intrinsecè fiat potens, modò sublevetur per assistentiam DEI. Infero: ergò intellectus nihil ibi agit : ergò visio non procedit ab ipso, sed à DEO, vel explicetur aliter.

Confirmatur II. à paritate Philosophica, principium actus vitalis in linea naturali necessariò est intrinsecum viventi ; quia vivens se ipsum movet ab intrinseco : ergò etiam principium actûs vitalis in linea supernaturali debet esse intrinsecum, quia vivens supernaturale mediante illo principio se ipsum movet. Paritas videtur tenere ; quia non minùs visio DEI est vitalis vitalitate supernaturali, quàm cognitio rei alicujus ab intellectu elicita, est vitalis vitalitate naturali : & sicut cognitio, vel volitio in Angelo aut homine supponunt principium vitale intrinsecum, sic etiam cognitio & volitio in linea supernaturali supponunt principium vitale intrinsecum. Tota hujus quæstionis resolutio ex parte Thomistarum contra Recentiores est in eo, quòd Thomistæ universim negent,

DEUM

DEUM poſſe ſupplere principia intrinſeca ; ſic in Phyſica negant, DEUM poſſe conſervare materiam ſine forma, quia cùm materia eſſentialiter petat priùs habere actum primum, qui eſt forma, quàm exiſtentiam, quæ eſt actus ſecundus : cúmque DEUS non poſſit ſupplere formam, nec materia poterit exiſtere ſine forma. Clariùs pro intento : ex eodem principio Thomiſtæ negant potentiam obedientialem activam, quodlibeticam ad quoscunque effectus producendos, DEO ſolùm extrinſecùs aſſiſtente, ùt volunt Recentiores : ſed Thomiſtæ in ordine ad operationem requirunt virtutem priùs ſuperadditam creaturæ, ut ſit conſtituta in linea agentium, & ſic poſſit effectum à DEO intentum attingere. Ratio autem, cur DEUS non poſſit ſupplere principia intrinſeca, eſt, quòd illa ſuppletio imperfectionem, & limitationem inferat, quia omnis virtus agentis creati eſt recepta, & potentiam tanquam forma ſaltem accidentalis informat, ex quibus contra Recentiores.

Urgeri poteſt argumentum : non poteſt DEUS abſolutè uniri corpori humano ùt forma vivificans, nec poteſt uniri animæ rationali ùt intellectus tanquam potentia proxima : ergò univerſaliter falſum eſt, quòd DEUS poſſit ſe ſolo, ùt Recentiores dicunt, præſtare, quod modò præſtat per creaturas. Antec. videtur certum; quia reverà DEUS haberet rationem compartis, & complentis principium operationum, quod repugnat ſimplicitati, & actualitati puriſſimæ ; & denique poſſet DEUS cum quolibet facere quodlibet. Argumentum etiam prodit de luminè gloriæ, ſi DEUS illud ſuppleret, cùm etiam deberet cum intellectu facere aliquod concretum intrinſecum in ordine ad attigendam viſionem Divinæ eſſentiæ. 117

Dices cum Suarez *lib. 2. de attributis negativis Dei. cap. 16. num. 5.* lumen gloriæ tantùm requiritur ut ſuppleat ſufficien- 118

ficientiam, quæ deest intellectui: sed hanc potest DEUS per se ipsum supplere: ergò ex hoc non probatur absoluta necessitas luminis. Min. prob. de factò actus fidei, & charitatis sæpè fiunt ex speciali auxilio absque eo, quòd habitus concurrat: ergò nec necessariò requiritur habitus luminis gloriæ, quia visio procedere potest ex speciali auxilio: & ne assumas pro te argumentum, quòd scilicet vel requiratur lumen gloriæ, vel auxilium speciale intrinsecum, ideóque nunquam sufficiat auxilium merè extrinsecum, statim subjungit, quòd auxilium illud speciale non sit qualitas distincta ab ipso actu elicito: sed sit ipsamet actio NB. speciali modo à DEO procedens. Instantiam dat in actibus illis, quibus habitus generantur, quasi illi in supernaturalibus non procedant à quodam auxilio distincto, sed per motionem DEI, saltem juxta *sententiam*, ait, *quam nos sequimur*.

Respondeo concedo Maj. nego min. ad prob. transeat totum Enthymema, quod non officit. Ulteriùs sustineo argumentum, quod potest, & debet assumi, ad subsumptum nego absolutè, quòd auxilium speciale non sit distinctum ab ipso actu; actus enim est effectus auxilii in genere causæ efficientis, consequenter distinguitur realiter ab auxilio. Dein actus ille fidei, vel charitatis speciali modo à DEO procedentes, an intellectus, vel voluntas agunt aliquid, vel nihil in eos? si aliquid agunt, utique priùs virtutem habeant agendi, necessum est, ut ipsis actu tribui possit; si nihil? tunc merè passivè se habent, solúsque DEUS operatur: quod videtur sapere Calvinismum; sicut ergò Adversarius juxta sententiam, quam sequitur, non requirit auxilium distinctum ab actu, ita nos juxta sententiam, quam sequimur, requirimus auxilium intrinsecum distinctum cum Sancto Thoma *quæst. unica de Charit. art. 1. in Corp.* ubi clarè contra Adversarios docet,

esse

eſſe impoſſibile, ut voluntas diligat DEUM mediante Spiritu Sancto tanquam principio elevante, ideóque concludit: *Actus igitur, qui excedit totam facultatem naturæ humanæ, non poteſt eſſe homini voluntarius, niſi ſuperaddatur naturæ humanæ aliquid intrinſecum, voluntatem perficiens, ut talis actus à principio intrinſeco proveniat.* Juxta Suarezium, etſi nihil ſuperaddatur intrinſecum, voluntatem perficiens, actus tamen poteſt eſſe voluntarius, quia poteſt eſſe meritorius.

Prætereà ſi actus Charitatis non eſt diſtinctus ab illo 119
auxilio, ſequitur, quòd voluntas eſſet ſolùm inſtrumentum, quatenus eſt mota à Spiritu Sancto tanquam exteriori agente: hoc autem poſito juxta S. Thomam ibi actus non erit meritorius; quia talis neceſſariò exigit procedere à principio intrinſeco. Multa S. Doctor contra Sententiam adverſam clariſſimè movet, citato loco denique concludit: *nec tamen per hoc* (ſcilicet ſi adſit auxilium intrinſecum) *excluditur, quin Spiritus Sanctus, qui eſt charitas increata, ſit in homine charitatem* (vel aliud auxilium intrinſecum) *habente*, NB. *movens animam ad actum dilectionis, ſicut DEUS movet omnia ad ſuas actiones*, NB. *ad quas tamen inclinantur ex propriis formis.* Ergò juxta S. Thomam ſicut motio DEI ſupponit formas, per quas res inclinentur, ita motio Spiritus Sancti ſupponit formam, ſeu virtutem intrinſecam; útque mentem ſuam declaret, apertè addit: *& inde eſt, quòd omnia diſponit ſuaviter*, NB. *quia omnibus dat formas, & virtutes inclinantes in id, ad quod ipſe movet, ut in illud tendant, non coactè, ſed quaſi ſponte.* Dixit S. D. *quaſi ſponte*, ne excludat motionem cauſæ primæ, à qua dependenter ſponte agunt, & voluntariè.

Contra rationes adductas in probatione ſupereſt dif- 120
ficultas, quam Adverſarii judicant gravem ex paritate: poteſt DEUS per ſolum illapſum ſupplere ſpeciem im-

preſſam, & expreſſam, quin aliquid intrinſecè communicet intellectui in ordine ad eſſentiam DEI videndam, nec etiam ipſe ſubit rationem formæ intrinſecæ : ergò etiam poteſt per aſſiſtentiam extrinſecam ſupplere lumen gloriæ, quin illud, vel aliam virtutem communicet intellectui, aut ipſe ſubeat rationem formæ intrinſecè elevantis. Paritas ipſis videtur ſtringere ; quia non minùs ſpecies ex officio ſuo debet complere intrinſecè intellectum, & ipſi quaſi præcontinentiam dare, ut objectum poſſit attingere, quàm lumen gloriæ : ergò ſi poteſt unum, poteſt & alterum, eadem ratione ex utraque parte militante.

Reſpondeo, ſuppoſitis dictis de ſpecie, concedo antec. nego conſequentiam, & cauſalem adjunctam, quia ſpecies ex eſſentia non habet, ut compleat intellectum in ratione actus primi ad objectum attingendum, ubi illud ipſum eſt proportionatum, & intimè illapſum, licèt circa alia objecta, ùt diximus, ex ſe improportionata indigeant ſpecie, quæ etiam juxta communiorem compleat intellectum, & effectivè concurrat, quamvis & hoc negari poſſit, & ſpeciei ſolùm concedi ratio cauſæ formalis intrinſecè determinantis: at verò intellectus eſt omnino impotens intrinſecè ad viſionem ſupernaturalem eliciendam, niſi aliqua virtute intrinſeca elevetur, petítque viſio procedere ab intellectu tanquam virtute intrinſeca, ſicut juxta S. Thomam actus voluntarius, & meritorius à charitate vel habituali, vel auxilio tranſeunte.

AR-

ARTICULUS III.

Quomodò intellectus cum lumine gloriæ concurrat ad visionem, & unde proveniat inæqualitas visionis?

HÆc duo studiosè jungimus, quia aliqui inæqualita- 12
tem visionis ex perfectiore intellectu hujus, quàm alterius desumunt: prius ergò inquirendum est, quomodò intellectus concurrat. Pro quo

Notandum est, statum quæstionis in eo situm esse, an intellectus, & lumen gloriæ concurrant ad visionem tanquam duæ causæ partiales, ita, ut cuilibet aliquid ex parte visionis correspondeat, intellectui tanquam virtuti naturali, & vitali ratio vitalitatis intellectualis &c. & lumini gloriæ tanquam supernaturali virtuti supernaturalitas? vel an intellectus sit tota ratio, vel lumen gloriæ?

Dico I. Intellectus lumine gloriæ instructus respectu 22
visionis est causa principalis, ita tamen ut lumen gloriæ sit tota virtus *ùt quo*.

Ratio est I. Intellectus lumine gloriæ instructus habet proportionatam activitatem ad visionem eliciendam: ergò est causa principalis respectu visionis. Antec. suppono ex natura luminis gloriæ, quæ est virtus sufficiens. Consequentia prob. quælibet causa habens in se sufficientem virtutem est principalis respectu effectûs: sed intellectus lumine gloriæ instructus habet sufficientem virtutem: ergò est causa principalis. Maj. suppono ex Philosophia. min. colligitur ex notione luminis, quod est adæquata virtus elevativa ad visionem juxta S. Thomam sæpiùs citatum. Nec obest, quòd lumen gloriæ ab extrinseco adveniat, nec sit naturale intellectui, ut proin non possit mediante illo fieri causa principalis; nam ut lumen naturale, vel potiùs congenitum sit, non requiritur, mo-

dò intellectui tanquam principio agenti ſubordinetur in ordine ad effectum attingendum.

• Confirmatur ex S. Thoma ſupra *cit.* non obſtante, quòd DEUS det omnibus in linea tam naturali, quàm ſupernaturali formas, & virtutes inclinantes in id, ad quod ipſe movet, nihilominus tamen ſunt cauſæ principales in linea naturali: ergò etiam intellectus, licèt habeat virtutem inclinantem à DEO ad viſionem, tamen erit cauſa principalis viſionis.

Nec dici poteſt, intellectum ſolùm eſſe cauſam inſtrumentalem ex eo, quòd agat in virtute principalis agentis, ſcilicet DEI, lumen gloriæ communicantis; nam

Contra eſt 1. Viſio beatifica eſt actus vitalis eſſentialiter ſupponens principium vitale ſe ipſum movens, ex quo: nulla cauſa inſtrumentalis ſe ipſã movet ab intrinſeco: ſed intellectus inſtructus lumine gloriæ ſe ipſum movet ab intrinſeco: ergò reſpectu viſionis non eſt cauſa ſolùm inſtrumentalis. Major. ex Philoſophia eſt certa; quia omnis cauſa inſtrumentalis ab intrinſeco movetur.

Secundò: omne inſtrumentum agit in virtute ſuperioris agentis, ita, ut virtus non ſubordinetur inſtrumento, ſed inſtrumentum propter virtutem communicatam ſuperiori agenti ſubordinetur: ſed lumen gloriæ ſubordinatur intellectui, eique tanquam virtus proxima appropriatur: ergò intellectus reſpectu viſionis non eſt ſolùm cauſa inſtrumentalis. Major. iterum ſuppono ex Philoſophia de cauſa inſtrumentali. min. prob. ex eo: in actibus meritoriis potentiæ, quamvis elevatæ, non ſe habent ùt cauſæ inſtrumentales; ſic voluntas habitu charitatis inſtructa ad actus charitatis non præcisè concurrit ùt inſtrumentum, ſed ùt cauſa principalis, quia habitus illi ſubordinatur, appropriatur, & ſubjicitur in ordine ad actus eliciendos. Sed in iſtis benè diſcernenda eſt virtus adæ-

qua-

quata agendi, & agens principale, ac hac virtute prædi-
tum: apud nos virtus agendi adæquata eſt lumen gloriæ,
quod intellectum, ex ſe naturalem, elevat, eúmque red-
dit cauſam principalem in linea vitalitatis ſupernaturalis,
ita, ut tota vitalitas viſionis ſit ſupernaturalis ab intellectu
virtute ſupernaturali inſtructo procedens.

Quæres, quarè ergò Thomiſtæ dicant, intellectum 12;
reſpectu viſionis eſſe principium ſolùm radicale, lumen
verò eſſe principium formale proximum *ùt quo*, dum-
tamen dicimus, intellectum eſſe cauſam principalem vi-
ſionis?

Reſpondeo, utrumque rectè dici, quomodocunque
alii explicent. Juxta nos intellectus dicitur principium ra-
dicale, ſi ſumitur ſecundùm ſe, & potentiam obedientia-
lem in ordine ad ſupernaturalia, quæ potentia in recto
eſt ipſa entitas intellectûs, quamvìs *terminativè* diſtinguа-
tur, quatenus reſpicit aliquid ſupernaturale, ad quod aſſu-
mi poteſt à DEO, in quantum ipſi tanquam creatura-
obedire debet ad aliqua naturam antecedentia, ùt e.g.
recipiat lumen ſupernaturale &c. & in hoc ſenſu eſt radi-
cale viſionis principium, in quantum à DEO per lumen
vi | otentiæ obedientialis elevari poteſt ad viſionem attin-
ge: dam; ſi autem ſemel elevatus ſit, luménque ſibi ap-
propriet, fit cauſa principalis ratione virtutis adæquatæ
ſibi à DEO communicatæ, & ideò lumen gloriæ dicitur
tota virtus, & formale principium *ùt quo.* Explicatio il-
luſtrari poteſt à ſimili: anima rationalis eſt principium-
radicale operationum vitalium, & formale proximum
eſt intellectus, voluntas &c. quibûs mediantibûs anima
operatur in linea naturali, ita ſuô modô intellectus in-
ordine ad viſionem eſt principium radicale, & formale
lumen gloriæ, quo mediante viſionem elicit, hac tamen
inter animam, & potentias naturales, & inter intelle-

ctum, luménque gloriæ differentiâ, quòd anima suas potentias emanet, intellectus autem, quia lumen gloriæ emanare non potest, illud à DEO accipiat, per hoc tamen non minùs evadat causa principalis, quàm alia naturalis. Unde si daretur substantia supernaturalis creata, illa lumen gloriæ emanaret tanquam principium *ùt quo*, & sic etiam ipsi visio beatifica esset connaturalis; sed quia in via Thomistica talis substantia implicat, lumen gloriæ ab extrinseco petendum est.

124 Dices I. In visione est aliquod prædicatum, scilicet vitalitas, quæ solùm correspondet intellectui, non autem lumini gloriæ: ergò intellectus hanc rationem attingit per se solum. Probat. antec. vitalitas est operatio purè naturalis: ergò dependet necessariò à solo intellectu tanquam principio naturali & vitali. Antec. est Adversariis certum; quia operatio vitalis supponit essentialiter radicale principium vitale, vel animam in homine, vel substantiam in Angelo: anima autem, & substantia Angeli sunt aliquid purè naturale. Ratio fundamentalis hujus argumenti, quòd Recentiores longè deducunt, est ad hominem contra Thomistas perpetuò docentes: actus vitales essentialiter supponere principium vitale, quod per nullam potentiam suppleri possit.

125 Confirmatur I. ex parte visionis duo prædicata sunt, primum vitalitatis, alterum supernaturalitatis: sed hæc duo nec possunt correspondere simul intellectui, nec lumini gloriæ: ergò aliquod correspondet intellectui, scilicet vitalitas, & aliquod lumini, scilicet supernaturalitas. Quod autem vitalitas non correspondeat lumini, videtur certum; quia lumen illud non est vitale, sed mortuum, cùm non procedat à principio radicali vivente; adeóque debent respectu visionis admitti duo principia partialia scilicet intellectus & lumen, & consequenter tene-

nemur admittere ex parte visionis duas rationes partiales, naturalem & supernaturalem, ut eadem visio sit naturalis, & supernaturalis, & quia illa tendentia sibi has rationes identificat, visio identicè est partim naturalis, partim supernaturalis.

Respondeo ad argumentum negando anteced. ad prob. iterum nego antec. vel gratis distinguo, vitalitas est operatio purè naturalis, ùt procedit à principio purè naturali concedo antec. ùt procedit à principio secundùm se naturali quidem, sed tamen per virtutem supernaturalem elevato nego antec. in priori sensu Adversariis est certum, nec nobis dubium; si verò simpliciter sine distinctione intelligant, nobis videtur falsissimum: nec causalis adjuncta aliquid evincit, quàm quòd anima in homine, & substantia in Angelo sint principium purè naturale remotum vitalitatis, si tamen hoc principium supernaturaliter elevatur, tunc mediante illa virtute elicit actum supernaturaliter vitalem. Hinc ad Confirmationem 126

Respondeo concedendo Maj. distinguo min. non possunt simul correspondere intellectui sibi soli relicto, concedo min. elevato nego min. Sic enim utrumque conveniet intellectui lumine gloriæ instructo tanquam principali causæ, lumini verò correspondet tanquam virtuti adæquatæ. Quòd verò lumen gloriæ non sit vitale vitalitate supernaturali, est falsum, cùm sit participatio Divinæ vitalitatis supernaturalis, & in tali sensu dicimus etiam gratiam sanctificantem, cùm sit participatio naturæ Divinæ, quæ utique est vitalis, esse principium vitale radicale actuum supernaturalium charitatis, & aliorum: imò & auxilium supernaturale transiens & elevans ad actum charitatis est vitale principium in sua linea.

Di-

127 Dices II. Præsertim contra hoc ultimum : nullum principium vitale potest conferri alteri, cùm sit radicatum in substantia vitali, & cum illa essentialiter connexum, sic intellectus tanquam principium vitale proximum non potest alteri communicari,equo, leoni &c. ergò si lumen gloriæ est principium vitale, non potest homini aut Angelo communicari.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem, quæ mihi videtur absurda. Haud dubiè principia illa naturaliter vitalia, quia ex substantia emanant tanquam proprietates strictæ, non possunt alteri communicari, nisi & principium radicale communicetur propter connexionem essentialem, & inseparabilitatem absolutam, aliud est in supernaturalibus, quæ DEUS vel creat, vel è potentia obedientiali educit, nulla inter DEUM, & illa essentiali connexione ; nec enim radicantur in natura Divina, sed dependent à DEO in genere causæ efficientis, & suo modo formalis, quatenus sunt participatio naturæ Divinæ, ùt gratia sanctificans, vel alia auxilia vices gratiæ subeuntia in ordine ad actus supernaturales. Hinc posita substantia supernaturali, cui connaturale esset lumen gloriæ, non posset separari à substantia tanquam radice.

128 Quoad alteram partem articuli suppono contra Stoicos, quibus adhæsit Jovinianus hæreticus teste S. Augustino *lib. de hæresibus hæresi 86.* & postea Lutherus cum suis, quam opinionem probabilem judicat Durandus, scilicet docentes, visionem esse æqualem in omnibus Beatis : quibus etiam juxta Suarez de *Attributis negativis. cap.* 20. Calvinus accessit, eò quòd in nobis nulla sit vera justitia, vel meritum, sed sola imputatio justitiæ Christi, qui sicut pro omnibus æqualiter mortuus est, ita æqualiter omnes se habent in Patria, sed hæc à Tridentino damnata sunt. Suppositum fundatur in Scriptura præsertim

in

in illo 1. Corinth. 1. *Unusquisque propriam mercedem accipiet* NB. *ſecundùm proprium laborem.* Et alibi paſſim, ut proin ſit de fide, non omnes in hac Providentia futuros eſſe æquales in viſione, interim tamen juxta Suarez *lib. 2. de Attributis negativis. cap. 20. num. 2.* & alios, neceſſarium non eſt, omnes omnino eſſe inæquales in viſione DEI, & reverà plures eſſe omnino defactò æquales, videtur certum in infantibus poſt Baptismum ante uſum rationis decedentibus; ſicut enim æquales ſunt in gratia per Baptismum collata, ita erunt æquales in gloria, quæ ad quantitatem gratiæ menſuratur: idem dici poteſt de innocentibus ab Herode occiſis, ubi Martyrium æquale fuit, niſi fortè permittente DEO unius occiſio fuerit trunculentior, quàm alterius, & ſic DEUS unum magìs, quàm alterum reſpexerit; ſed quia hujus fundamentum non conſtat ex Scriptura, nihil abſolutè decidi poteſt.

Dico II. Juxta S. Thomam hìc *quæſt. 12. art. 6.* per 139
totum inæqualitas viſionis provenit ſolùm ex majori, vel minori lumine gloriæ.

Prob. viſio menſuratur ex virtute proxima, à qua procedit: ergò ubi virtus proxima eſt perfectior, eſt & viſio perfectior, & econtra. Subſumo: ſed in aliquibus virtus proxima eſt perfectior quàm in aliis: ergò etiam viſio eſt perfectior. Min. ſubſ. probatur: lumen gloriæ ſuam perfectionem deſumit à perfectione gratiæ, charitatis, & meritorum: ſed in aliquibus major eſt perfectio gratiæ, intenſior charitas, & merita plura, & perfectiora: ergò eſt majus, & perfectius lumen gloriæ. Maj. eſt S. Thomæ hìc *in Corp.* docentis: *Intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectiùs DEUM videbit, plus etiam participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.*

Confirmatur. Si non à ſolo lumine proveniret inæqualitas viſionis, proveniret aut à perfectiori, vel imper-

perfectiori intellectu : sed hoc est falsum : ergò inæqualitas provenit solùm ab inæqualitate luminis. Maj. est AA. min. prob. Quamdiu intellectus non concurrit ad visionem ex propriis viribus, nihil potest ipsi speciale attribui in visione ; sed non concurrit ex propriis viribus, sed alienis sibi communicatis : ergò nihil potest ipsi speciale attribui. Maj. est certa ; quia in hoc se fundant Adversarii, & necessariò. Min. verò patet ex dictis, éstque expressè S. Thomæ hoc *art. ad 3.* ubi ait : *diversitatem videndi non esse futuram ex parte objecti &c, sed*, adjungit, *erit per diversam facultatem intellectûs* NB. *non quidem naturalem, sed gloriosam.*

130 Dices : Non esse inconveniens, quòd, si duo habeant æqualia merita, unus perfectiùs DEUM videat ex perfectiore activitate intellectûs sibi connaturali, quàm alius tam perfecta activitate non præditus ; cùm enim gratia non destruat naturam, nec diminuat, sed potiùs perficiat, est conveniens, ut perfectior intellectus perfectiùs videat DEUM, utpote à gratia, & lumine adjutus.

Confirmatur ad hominem contra Thomistas, qui cum S. Thoma de Angelis *1. part. quæst. 62. art. 6.* docent, quòd Angeli naturæ subtilioris, & perspicacioris, ùt loquitur Sanctus Thomas in Responsione *sed contra* ex Magistro sententiarum, fuerint majoribûs gratiæ muneribûs præditi, quam opinionem amplectitur ibi Sanctus Doctor in *Corp.* dicens, quòd rationabile sit, *quòd secundùm gradum naturalium data sint dona gratiarum*, & NB. *perfectio Beatitudinis :* ergò si perfectior natura in Angelis perfectiori gratiâ fuit prædita, idem potest dici de hominibus perfectiori intellectu gaudentibus.

Respondeo I. Id non satìs constare cum fide, juxta quam visio beatifica datur ùt merces, præmium, & corona justitiæ, consequenter ubi antecessit major labor, pu-

pugna vehementior, & charitas intenſior, erit merces, & præmiùm, & corona major. Nec obeſt, quòd gratia perficiat naturam; nam cùm illa perfectio proveniat à dono ſupernaturali, vi cujus quis poteſt meritoriè operari, & per merita conſequi gloriam, hæc non perfectioni naturæ, ſed gratiæ, & meritis correſpondebit ex communi principio, quia nihil perfectionis poteſt eſſe in viſione, quod non proveniat ex gratia.

Reſpondeo ad alterum; concedo antec. nego conſequentiam, quæ profectò ex antecedenti deduci non poteſt pro opinione Recentiorum; alia enim eſt gratia primitus data, alia eſt illa, cui reſpondet lumen gloriæ. Illud fortè rectiùs deduci poſſet, quòd, ſicut Angelis prima gratia fuit data ad menſuram perfectionis naturalis, ita & hominibus detur: ſed quid, admiſsô hoc, ſequitur pro ſtatu quæſtionis? Nihil omnino; nam & Angelis correſpondet præmium juxta intenſionem actus meritorii, quem in ſecundo inſtanti elicuerunt, nihil conferente perfectione naturæ; quia etiam viſio correſpondebat ſolùm in illis gratiæ, & meritis in via, & lumini in Patria.

PARS II.

DE
Illis, quæ DEUS operatur ad Extra.

POstquàm Doctor Angelicus egit de DEO quoad essentiam, & Attributa, subinde de Processionibus Divinis, quæ DEI fœcunditatem ad intra commonstrant, ad emanationem creaturarum ad extra processit, cúmque inter illas Creatura purè spiritualis ernineat, à *quæstione 50. primæ partis agit de Angelis.* Et quamvìs etiam homo ad similitudinem DEI sit conditus; quia tamen ex materia, & forma consurgit, sícque plurimum imperfectionis admixtum continet, & vel ideò à rebus materialibus dependet, multùm inferior est Angelis, qui à materialibus absoluti, sunt meri Spiritus, & hísce sublunaribus dominantur teste S. Augustino *lib. 8. de Genesi ad Litteram cap. 24. Angelis subdita est omnis natura corporea, omnis irrationabilis vita* (& ne hominem excipias, subdit S. D.) *omnis voluntas vel infirma, vel prava,* ut hoc de subditis, vel *cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, jubente illo, cui subjecta sunt omnia.* Ex quibus apparet mirabilis Ordo, & Hierarchia totius universi, in quo unum subest alteri, donec ascendamus ad eum, ad quem omnia referuntur, scilicet DEUM, qui immobilis in se movet omnia, éstque principium, & finis. Meritò igitur S. Thomas,

mas, acturus post DEUM de creaturis, auspicatur ab Angelis, qui primum inter creata locum tenent, deinde de homine, actibúsque humanis, & de conscientia.

QUÆSTIO I.

De Creatura purè spirituali.

ANgelus, & Arch-Angelos esse, penè omnes sacri eloquii paginæ testantur, ait S. Gregorius *Homil. 34. in Evangelia.* post cujus assertionem etiam probat ex Scriptura novem Angelorum ordines, seu choros, ex quibus Hierarchia Cœlestis consurgit, ideóque ex Scriptura existentia Angelorum est de fide contra Atheos, & Saducæos, eorum existentiam negantes, contra illos quidem; quia DEO semel excluso, consequenter creationem Angelorum, soli DEO competentem, negant: contra Saducæos autem, quia *Actorum 23.* dicitur: *Saducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Est autem hæc veritas Catholica definita, ùt refertur in *cap. firmiter 1. de Summa Trinit.* ubi ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. dicitur de DEO post explicationem SS. Trinitatis, qui sua Omnipotente virtute simul ab initio temporis *utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem: Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Est ergò Angelus substantia purè spiritualis, nihil corporis, aut materiæ admixtum continens, nisi fortè cum aliquibus potentialitatem, omni creaturæ, hoc ipso, quòd actus purissimus non sit, magìs, aut minùs communem, materiam cœlestem dixeris, quòd nugari, & Philosopho etiam indignum est.

ARTICULUS I.

An existentia Angelorum possit à priori, vel saltem à posteriori ratione efficaciter probari?

2 VOcabulum hoc *Angelus* non esse nomen naturæ, sed officii tantùm SS.PP. passim dicunt; præsertim S. Gregorius Magnus *cit. loc.* dicens: *Sancti illi Cœlestis Patriæ Spiritus semper quidem sunt Spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt; quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos aliqua nunciantur*: Angelus scilicet significat nuntium. Sed, cùm jam invaluerit hoc nomen *Angelus* in Scholis, illos Cœlestes Spiritus vocabimus, Angelos, sive mittantur, sive non. Est autem quæstio, an eorum existentia probari possit ratione?

3 Multi eam probari conantur saltem moraliter à posteriori I. ex effectibus, quos exercent in energumenis. II. Ex usu diversorum idiomatum, ùt constat ab experientia, ubi sæpè nunc latinè, nunc Italicè obsessi, aliàs istarum linguarum ignari, loquuntur. III. Ex effectibus Magorum, & Sagarum; illorum præsertim, qui in Aula Pharaonis tam mira contra Moysem patrârunt. Notum est etiam illud ex actibus Apostolorum de Simone Mago, aliáque, quæ non possunt in mortales conjici, nisi ope Angelorum adjutos.

4 Dico I. Angelorum existentiam non posse efficaciter & morali evidentia ex effectibus, ab Adversariis adductis, probari.

Ratio est I. Quamdiu hi effectus possunt commodè in alias causas reduci, tamdiu certè, & propriè moraliter non sunt solius Angeli: sed possunt in alias causas commodè reduci: ergò non sunt solius Angeli. Maj. est certa ex ratione naturali. Min. quoad primum est eo pro-

ba-

batur, quod sæpè phrænetici eosdem motus, & majores exerceant, qùam obsessi, quod vel maximè contingit in fœminis ex morbis huic sexui frequentibus, ut etiam Medici aliàs peritissimi dubitent, an à vitio naturæ, vel insidente dæmone illi furores proveniant. Quoad secundum nihil moraliter constat; nam etiam causa prima propter ocultos fines movere potest, ut hac, vel illa lingua utantur homines; sicut etiam personæ reverà obsessæ variis linguis utuntur, solo dæmone potentiam locutivam impellente, cur non posset DEUS impellere? II. Exorcistis probabilissimum est, mihíque ab experientia moraliter certum, animas separatas frequenter obsidere hominum corpora, quæ cùm anteà illarum linguarum fuerint peritæ, nihílque naturalium in damnatione amiserint, movere possunt labia obsessi, ut vel hoc, aut alio idiomate loquantur. III. Effectus Magorum in Aula Pharaonis contigisse possunt ex virtute DEI ad probandam constantiam Moysis, & Israëlitarum, & ad *indurandum*, ùt Scriptura ibi loquitur, *cor Pharaonis*, ne dimitteret populum, donec DEUS in mari rubro suam potentiam ostenderet. De Simone Mago eadem dici possunt ad tentandam Petri fidem, aliorúmque in ortu Ecclesiæ conversorum, utì reverà ad preces Petri ex alto dejectus Simon præsentes confirmavit in fide, ita & alios adduxit, ut doctrinam Christi in Petro amplecterentur; ex quibus nihil moraliter certi evinci posse existimo, quamdiu eadem probabilitate occurritur argumentis assertionis oppositæ.

§ Singulare videtur argumentum Clarissimi P. Peri hìc *art. 1. num. 2.* ex eo deductum, & quidem efficaciter juxta ipsum, quod re ipsa est hoc: regularis, & inquietus cœli, Astrorúmque motus nequit in aliam causam, quàm solos Angelos reduci: ergò vel ex hoc motu Angelorum existen-

stentia efficaciter probari potest. Antec. prob. Ille motus saltem adæquatè non est à natura, ùt principio activo; quia non est propter bonum ipsius mobilis, nempè cœli, aut astrorum, sed propter generationem, & mutationum corporum sublunarium; si autem esset à natura, deberet esse propter bonum ipsius mobilis; natura enim intendit finem determinatum, & bonum ipsius mobilis, quo obtento mobile quiescit.

II. Deinde non est ab ipso cœlo, & astris, ita ut à se moveantur, quia animata non sunt. III. Motus ille non est ab aliquo movente corporeo, aut virtute existente in corpore: utrumque enim perpetuò movendo lassaretur, prout constat in animalibus. IV. Denique motus ille non est à DEO immediatè, quia teste Dionysio lex Divinitatis est reducere infima in suprema per media; inter cœlum autem, & DEUM, infert Author, mediat spiritus. Hoc argumentum meô juditiô multa peccata Philosophica continet, quæ proximè manifestabimus.

6 Resp. ad argumentum 1. neg. absolutè antec. conformiter ad mea principia Philosophica; quia DEUS potuisset ab initio sphæris cœlestibus indere aliquam qualitatem, qua impellente moverentur circulariter; sicut defactò regulariter ignis tendit sursum, & lapis deorsum: ignis autem ille cœlestis, qui supremum inter Elementa locum obtinet, non tendit sursum, nec deorsum, sed in sua linea quiescit, & hoc ex ipsa natura: ergò etiam cœli in tali natura potuissent condi, ut nunquam quiescerent, sed semper circulariter moverentur absque ulla motione Angelorum extrinseca.

II. Certum est apud Thomistas, quòd Angeli, quos Aristoteles, & S. Thomas dicunt intelligentias assistrices moveant cœlos solô imperiô tanquam actu formaliter immanente, & virtualiter solùm transeunte? si fortè minùs

nùs efficax dicas imperium DEI, quàm Angeli; cùm tamen tota virtus Angeli sit tantùm imperfecta participatio virtutis Divinæ? ergò potest ille motus in alias causas reduci ex ratione Philosophica.

Ad probat. potest negari, motum illum non esse à 7
natura juxta primam rationem datam; nam licèt ille motus ultimatò ordinetur adgenerationem, & mutationem corporum sublunarium, est tamen etiam propter bonum mobilis; quia quodlibet exercitium actuale est perfectio illius, cujus est exercitium, quod patet in omnibus causis efficientibus, quæ licèt ordinentur ultimatò ad productionem effectuum, nihilominùs actualis productio tanquam exercitium causæ efficientis est illius perfectio: ergò iterum nihil ex ratione Philosophica.

Ad rationem II. & III. nego, quòd motus ille non possit esse ab ipsis Cœlis; causalis adjecta nihil probat. Nam licèt ignis animatus non sit, tamen motus sursum est ab ipsa natura ignis, & sic de aliis, quæ virtute quadam elastica moventur. Deinde si Cœli, utì reverà possunt, ex natura moverentur circularitur, tam parùm lassarentur, quàm parùm lassatur ignis semper ascendendo, donec ad suam lineam pertingat, vel lapis tendendo deorsum, usque dum ad centrum terræ perveniat; sicut enim isti motus sunt naturales, ita motus circularis potest esse naturalis, vel ostendatur ex Philosophia repugnantia.

Ad rationem IV. dico, quòd motus ille possit esse immediatè à DEO juxta dicta; num verò defactò sit, est dubium multîs asserentibûs, aliîs negantibûs, nobis sufficit ostendisse, nihil ex rationibus philosophicè, & efficaciter probari posse, quamdiu patiuntur solutionem commodam. Illud S. Dionysii effatum tantùm dicit, quid defactò, & quomodò DEUS omnia fecerit, quod fuit DEO liberrimum, non tamen asserit, ita fieri debuisse. Hinc

 simi-

ſimilia argumenta à rebus ſic modò exiſtentibus deducta nihil efficaciter probant. Hinc

8 Dico II. Exiſtentiam Angelorum nec poſſe efficaciter oſtendi à priori, ac ſi fuiſſent neceſſarii ad perfectionem, quæ conſiſtere non potuiſſet ſine aliqua creatura purè ſpirituali.

Ratio Concluſionis eſt negativa, ſicut prior: ideò poſſet à priori oſtendi efficaciter, & juxta multos evidenter exiſtentia Angelorum, quia ſunt neceſſarii ad perfectionem univerſi: ſed hoc efficaciter, multominùs evidenter oſtendi poteſt: ergò exiſtentia Angelorum à priori efficaciter oſtendi non poteſt. Maj. eſt partis adverſæ. min. prob. etſi non exiſteret creatura purè ſpiritualis, nihilominùs univerſum eſſet perfectum juxta idæam artificis Divini: nam quia ſibi ipſi eſt regula, & quidem liberrima, quidquid facit eſt perfectum; cùm ergò produxerit Angelos liberè, quos potuiſſet non producere, nihilominùs univerſum fuiſſet perfectum. Hoc autem, quòd DEUS Angelos potuiſſet non producere antecedenter, omnes concedunt, & debent concedere ſalva libertate DEI in productione creaturarum.

9 Sed dices I. cum communi Thomiſtarum præſertim *cit.* Authore: perfectio Univerſi conſiſtit in aſſimilatione ad cauſam; quia agens intendit ſibi ſimile: ſed DEUS tanquam agens perfectum; agit per intellectum, & voluntatem: ergò requiritur ens creatum DEO ſimile per intellectum, & voluntatem. Diſcurſus probatur authoritate S. Thomæ hìc *prima part. quæſt. 50. art. 1. in Corp.* ubi ſe clarè explicat ſic: *neceſsè eſt ponere aliquas creaturas incorporeas; id enim, quod præcipuè in rebus creatis DEus intendit, eſt bonum, quod conſiſtit in aſſimilatione ad DEUM: perfecta autem aſſimilatio effectûs ad cauſam attenditur, quando effectus imitatur cauſam, ſecundùm illud per quod cauſa producit effectum,*

ſicut

sicut calidum facit calidum. DEUS autem creaturam producit per intellectum, & voluntatem: unde ad perfectionem requiritur, quòd sint aliquæ creaturæ intelligibiles. Idem S. Thomas docet *cap. 46. contra gentes.* Hoc est totum fundamentum AA. quod aliîs rationibûs in idem tendentibûs confirmant. Hinc

Dices II. Juxta S. Thomam & *cit.* Dionysium: ab uno extremo non pervenitur ad alterum sine medio: ergò cùm DEUS sit simplicissimus Spiritus, non pervenitur ad eum nisi mediante creatura purè spirituali: ergò talis est necessaria. II. Angelica creatura est necessaria ad finem à DEO intentum scilicet ad gloriam DEI, ad quam opus est creatura talis, quæ DEUM cognoscat, & diligat perfectè: ergò quia sola creatura Angelica perfectè cognoscit DEUM, & diligit, necessaria est ad finem ad DEO intentum, quòd verò DEUS omnia intendat ad suam gloriam, certum est, quia non potest non velle illam. 10

Respondeo ad I. ex textibus S. Doctoris tantùm evinci aliquam congruitatem, non rationem efficacem, aut evidentem; illud *necessè* respicit congruitatem ac decentiam, & majorem saltem materialem universi splendorem; atque hæc omnia tantùm ex consequenti deducuntur, postquàm ex fide certum est, dari Angelos alios, & alios. Et quid, si DEUS produceret alterum mundum, nullámque creaturam purè spiritualem, uti posset creare, an mundus ille non esset perfectus, an DEUS posset argui alicujus imperfectionis? ego non existimo; sicut defactò nemo sine blasphemia argueret, quod non perfectiores, quàm modò sunt, produxerit, quales tamen in infinitum possibiles sunt, ùt constat ex Philosophia saniori, non admittente creaturam absolutè perfectissimam. 11

12 Respondeo II. Ex rationibus S. Thomæ apparere, quòd nunquam existimaverit, rationes afferri posse efficaces, quia nec ipse attulit. Nam I. ex ratione assimilationis efficax non est; quia secundùm intellectum, & voluntatem illam habet in homine ratione animæ rationalis; Si autem hæc non sufficit propter imperfectionem, cùm sit immersa corpori, nec sufficiet in modernis Angelis, qui multum imperfectionis ratione potentialitatis admixtæ habent; debuerat ergò DEUS propter majorem assimilationem ad se producere Angelos longè perfectiores, scilicet in majori gradu immaterialitatis, & hoc ipso in minori potentialitatis; quò enim creatura immaterialior est, eò minus potentialitatis habet.

13 II. Illud, quòd DEUS creaturam producat per intellectum, & voluntatem, omninò efficaciter non probat pro Angelo, quia DEUS omnia prorsus etiam materialia, & imperfectissima per intellectum & voluntatem creat, non tamen ideò assimilantur DEO in ratione intellectûs, & voluntatis; juxta Psalm. 135. DEUS *fecit Cœlos in intellectu*: ergò Cœli vivunt, atque intelligunt? nego consequentiam.

14 III. Quòd juxta S. Thomam intelligere non sit effectus corporis, est verum, sed quid inde? ergò est solius Angeli, nego consequentiam. Nam & anima rationalis gradu intellectivo gaudet; quare autem anima, quamvis procedat per intellectum, & voluntatem à DEO, non sit spiritus purus, provenit ex libera voluntate DEI sic, & non aliter volentis. Est ergò penes solum DEUM, quomodò tanquam causa sibi velit assimilare effectus vel in ratione entis tantùm, aut substantiæ, vel ratione intellectivi.

15 Ad II. potest negari suppositum, quod debeat perveniri ab uno ad alterum extremum; imò hoc est impossibi-

sibile, quacunque creatura spirituali productâ; quia semper adhuc manebit infinita distantia inter spiritualitatem creatam, & illam increatam, ac Divinam, sicut est inter infinitum, & finitum. Vel dici potest, ad DEUM sufficienter ascendi per animam rationalem tanquam medium, quæ ab utroque aliquid participat; ratio S. Dionysii, & S. Thomæ est purè congrua, ut aliquæ creaturæ proximiùs accedant ad DEUM, ut *adstent ante DEUM*, & hoc, ùt dixi, ex consequenti solùm colligimus, quia pro hac providentia ita esse, ex S. Scriptura habemus.

Ad III. dist. antec. Angelica creatura est necessaria ad finem à DEO intentum, prout liberè intenditur hoc modo, & ideò consequenter tantùm hoc eruitur transf. antec. est necessaria antecedenter, nego antec. causalis consequentis nimiùm probat; quia possibiles erant alii, & alii Angeli existentibûs perfectiores, qui utique DEUM longè perfectiùs cognovissent, & hoc ipso amâssent, nec tamen DEUS produxit; quia scilicet gloriam suam intendit liberè juxta voluntatem suam, & si nullum creâsset Angelum, tamen DEUS habuisset in homine cognitionem, & amorem sui. Verbô ex operatione DEI ad extra nihil efficaciter deduci potest pro unius, & alterius creaturæ necessitate, quod ad hominem contra Thomistas sic ostendo.

Primò conformiter iis quæ ab ipsis docentur de In- 16
carnatione Verbi : DEUS nullô modô antecedenter necessitatur ad gloriam suam ad extrà procurandam, quia sibi ipsi sufficit, cum plenam sui cognitionem habeat ad intrà à Filio, seu Verbo, quod est unica, & adæquata assimilatio; amorem autem habet à mutuo invicem Personarum impulsu, & vel ideò ex assimilatione ad DEUM nihil probatur necessitatis in creaturis, quia nulla est, nec esse potest, quæ DEUM comprehensivè cognoscat.

II. Juxta Thomistas DEUS nec physicè, nec moraliter tenetur producere optimum, aut semper melius, & hoc ideò, quia operatur ad extra liberè. III. Juxta eosdem, licèt Incarnatio vel maximè conducat ad perfectionem Universi, & ex illa major gloria, quàm ex omnibus aliis creaturis puris collectivè sumptis, eluceſcat, tamen Incarnatio non fuisset facta, si Adam non peccâsset, quæ est characteristica Thomistarum sententia; quomodò ergò necessaria fuit Angelorum existentia, quæ infinitè minus ad gloriam DEI confert. Alii utì Scotus cum suis, & multi Recentiores docent, Incarnationem, etiam nullô peccatô existente, futuram fuisse propter excellentiam suam, & Universi totius perfectionem, ex illa redundantem, quod totum negant Thomistæ, quomodò autem ista conveniant, & qua consequentia, ego quidem non capio. Videri potest *tractatus de Mysterio Incarnationis 1. part. art. 3. à num. 22.* ubi rem fusiùs contra Gonet, & alios produxi.

ARTICULUS II.

De quidditate Angelorum.

17 SAnctus Thomas statim *art. 1.* hìc inquirit, an Angeli sint omnino incorporei? & affirmativè resolvit ex ratione ante assignata, scilicet ex assimilatione effectûs ad causam, & ex perfectione Universi; sed quia illas rationes solùm congruas, neutiquam efficaces ad adstruendam eorum existentiam judicavimus, tales iterum censemus pro incorporeitate omnimoda eorum, *art. 2.* quærit, an sint compositi ex materia, & forma? Quod negat tanquam aliquid impossibile, ut substantia intellectiva habeat qualemcunque materiam, ex eo, quòd operatio quævis sit secundùm modum substantiæ; cùm ergò operatio

ratio Angeli sit *intelligere*, hoc autem sit perfectius immateriale, Angelus excludit omnem materiam. Scio quidem hanc rationem à multis impugnari à pari : quamvis in homine detur intellectio, & forma intelligibilis recipiatur in intellectu hominis secundùm rationem, & modum formæ, tamen homo est compositus ex materia & forma : ergò ratione allata præcisè non probatur, Angelum non esse compositum ex materia, & forma.

Communiter ad hanc paritatem respondent Thomistæ, negando consequentiam ex disparitate; quia forma intelligibilis, & ipsa intellectio in homine tantùm recipiuntur secundùm unam partem, scilicet intellectus recipitur in anima, intellectio autem, & forma intelligibilis seu species expressa recipiuntur in ipso intellectu; at verò in Angelo recipiuntur secundùm se totum; sicut ergò homo ex una parte, scilicet intellectiva est ex data ratione spiritualis, ita Angelus, qui est perfectior homine propter majorem rationem est adæquatè spiritualis : sed hæc responsio urgeri posset.

Dico I. Angeli sunt puri spiritus, excludentes com- 18
positionem ex materia & forma.

Probatur ex Sacra Scriptura, quæ Angelos multoties vocat spiritus, sic *Psalmo 103. v. 4.* dicitur, *qui facis Angelos tuos spiritus*, quod in sensu S. Gregorii suprà *cit.* accipiendum est sic : *qui tuos spiritus facis Angelos, id est in terram nuntios.* Hebr. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus.* Et ad *Ephesios 6. v. 12.* ubi malos Angelos vocat Apostolus *spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, adversus quos nobis est colluctatio, & alibi.

Sacram Scripturam sequuntur SS. PP. apud Salmanticenses hìc *tract. 7. disp. 1. §. 2. num. 103.* & apud alios magnô numerô. Insuper S. Thomas hìc *art. 2.* in responsione *sed contra* allegat S. Dionysium *cap. 4. de Divin. Nomin.* docentem, quòd primæ creaturæ sicut incorporales, ita

&

& immateriales intelliguntur. S. Dionysius Angelos vocat intelligibiles, & spirituales substantias, incorporales omnino, & carentes materia: sunt ergò juxta ipsum Angeli substantiæ spirituales completæ, quia non veniunt in compositionem cum aliqua materia ad constituendum totum quoddam physicum.

Confirmatur clarè ex *cit. Concilio Lateranensi in cap. firmiter* relato: si Angeli non essent puri spiritus, nec excluderent omnem compositionem ex materia, & forma, illa divisio Concilii non esset bona: hoc dici non potest: ergò Angeli sunt puri spiritus, & excludunt omnem compositionem ex materia, & forma. Prob. seq. Maj. ex sumulis, ubi divisio rejicitur, quamdiu unum membrum dividens involvit alterum; hoc autem fieret, quia Concilium dicit: utramque condidit creaturam *spiritualem, & corpoream, Angelicam, & mundanam*, dein aliquam communem scilicet *humanam ex spiritu, & corpore.* Jam si Angelus involveret materiam, non esset oppositus adæquatè creaturæ corporeæ, hoc ipso quòd aliquid corporeitatis participaret, uti contingit in homine, qui ab utraque creatura participat. Hinc petitur argumentum: datur juxta Concilium Creatura totaliter materialis, & corporea: ergò etiam datur creatura totaliter spiritualis, & incorporea, & hæc sunt illa extrema, inter quæ mediat homo.

19 Illa, quæ objici solent ex Scriptura ratione functionum corporalium, facilè solvuntur, puta, cùm Raphaël *Tobiæ cap. 5. à versu 5.* in forma hominis commitatus est juniorem Tobiam. *Genes. 28. v. 12.* Jacob in somnis vidit ascendentes, & descendentes per scalam Angelos, qui motus erat corporalis. *Genes. 6. à versu 2. Filii DEI ingressi sunt ad filias hominum, genuerúntque filios*, per filios autem DEI Philo, & Josephus uterque Judæus cum 70. Interpre-

pretibus intelligunt Angelos DEI: ſic etiam *Tobiæ 6. & 8.* dicitur dæmon fumô, ex corde piſcis crematô, aſcendente fugatus: & experientia teſte ſæpè quibusdam herbis, aut pulvere dæmones arcentur: videntur ergò habere aliquam Antipathiam cum rebus corporalibus &c. hæc, & ſimilia facilè diluuntur; nam primum, & ſecundum contigit in corpore aſſumpto. III. Per Filios DEI intelliguntur à SS. PP. Filii deſcendentes à ſtirpe Seth, tanquam viri præſtantes, DEUMque colentes, poſtmodùm cum filiabus Cain inierunt connubia, ex quibus mala plurima terris immigrârunt, & denique diluvium; quòd verò puri homines fuerint, conſtat ex *cap. 6. Geneſ. v. 3.* ubi *DEUS: non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Antipathia propria non eſt Angelorũ; deberet enim eſſe proportio corporis ad corpus; nam Antipathia provenit ex diſſimilitudine qualitatum in duobus corporibus, ſicut Sympathia ex ſimilitudine qualitatum. Quòd verò materialibus ſubinde pellantur, eſt à DEO immediatè, vel mediatè per benedictiones herbarum, ita ſuperbiam dœmonis caſtigante, ita S. Benedictus impactâ alapâ dœmouem ab homine obſeſſo ejecit.

Dico II. Angeli ſunt ab intrinſeco incorruptibiles, &20 naturaliter indeſtruibiles. Ita cõmunis contra Vasquez, & paucos alios.

Probatur quoad primum philoſophicè: ubi nullum eſt principium corruptionis, nulla poteſt dari corruptio: ſed in Angelis nullum eſt principium corruptionis: ergò nulla poteſt dari corruptio. Maj. ſuppono in Sententia peripathetica, min. patet ex dictis; quia Angeli non conſtant materia, nec ex elementis ſunt facti, conſequenter nec habent qualitates contrarias, ſe invicem expugnantes, quæ ſunt principia corruptionis: ergò in Angelis nullum eſt principium corruptionis, quæ pluribus con-

firmari possent ex Physica, si opus foret. Instantiam habemus in anima rationali, quæ corruptionem excludit ex fide: ergò à fortiori Angeli. Primum definitum est in Concilio Lateranensi *Sess. 8.* & aliàs constat ex Evangelio præmium meritorum, & demeritorium supplicium, quidquid veteres Ethnici de anima, & non rarò Pseudopolitici de mortalitate animæ, fingant, dicántque.

21 Quoad II. ratio est: quod naturaliter, id est, ex natura sua permanere exigit, id naturaliter destrui non potest: sed Angelus ex natura sua exigit permanere: ergò naturaliter destrui non potest. Maj. est nota, min. constat ex ratione priori, quæ est S. Thomæ hìc *art. 5.* per totum.

Confirmari potest à contrario: sicut enim omnia in sublunaribus, quæ constant materia, & forma, subjacent corruptioni; ita quæ materiam excludunt, exigunt perpetuari &c. estque hic ordo universi, ut aliqua permaneant, aliqua mutentur ad varietatem, & pulchritudinem universi.

22 Dices I. cum Vasquezio: in Synodo sexta *actione 13.* Sophronius Episcopus ajebat approbante Concilio: *Angeli immortales perseverant*, NB. *non naturam reverà incorruptam propriéve immortalem habentes essentiam, sed gratiam à DEO sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.* Ita etiam SS. PP. Cyrillus, Ambrosius, Damascenus, & Bernardus docent, & hic præsertim *lib. 5. de considerat. cap. 4.* Angelos immortalitate perpetuos *non creatos, sed factos, id est, gratiâ, non naturâ dicit*, ex quibus arguit

II. DEUS non tenetur ad conservationem Angelorum, sicut non tenetur ad conservationem hujus universi: ergò potest illos destruere; quòd verò nunquam destruendi sint, non provenit ab eorum natura, sed ex libero

bero Decreto Divino. III. Eſt perpetua SS.PP. Sententia, ſolum DEUM habere immortalitatem ex natura ſua, non per gratiam, qui ſicut ſibi identificat ſuum *eſſe*, id eſt, exiſtere, ita æternitatem, immutabilitatem, & hoc ipſo immortalitatem.

Reſpondeo ad primum, Vasquezium extra quæſtio-23
nem verſari; nemo enim dicit, Angelos eſſe abſolutè, & eſſentialiter indeſtruibiles, quod ſoli DEO proprium eſt, qui, ùt objectio tertia dicit, ſibi ſuum *eſſe* identificat; ſunt ergò Angeli abſolutè deſtruibiles, & annihilabiles reſpectu DEI, cujus Dominio ſubjacent, quíque concurſum conſervativum abſolutè poteſt denegare de quo non eſt quæſtio: eſt ergò ſenſus, Angelos eſſe talis naturæ, quæ ab intrinſeco exigat perpetuari, ita, ut ſi deſtruerentur, hoc fieret contra naturam per miraculum, vel ſaltem præter naturam.

Reſpondeo ad II. negando primum membrum an-24
tec. concedo II. diſparitas eſt; quia univerſum, ut modò eſt, non petit conſervari, hoc ipſo, quòd partes plurimæ propter principia corruptionis mutationi ſubjaceant, & quidem ex natura ſua: at verò Angeli, cùm talia excludant, ex ſua natura perſeverare petunt. Hinc diſt. conſequens: poteſt illos deſtruere abſolutè concedo, naturaliter nego conſequens, & conſequentiam. Ad ulteriorem diſcurſum nego, quòd non proveniat ab eorum natura, non poſſe naturaliter deſtrui; hoc enim ipſis ex conſequenti connaturaliter debetur. Quod Decretum DEI liberum concernit, accipiendum eſt illud pro *antecedenti*, quatenùs DEO liberum fuit, creaturam purè immaterialem producere, vel non, poſtquàm autem produxit, connaturaliter jam liberum non eſt, eam deſtruere, quæ durare exigit.

25 Ad III. patet ex responsione ad primum. Quoad gratiam dicendum est, haud dubiè contigisse ex gratia DEI productionem Angelorum, quam DEUS potuisset omittere: sicut communis gratia, & beneficium est creatio Universi, dum omnia creatori suum esse debent, & hæc est gratia latè sumpta, seu naturalis; si verò gratia sumatur strictè in linea supernaturali, verum est, Angelos gratiæ Divinæ debere beatitudinem æternam. Sed ex hoc argumentor ad hominem: beatitudo ex sua natura juxta communem exigit perpetuitatem, aliàs non plenè satiaret, & tamen absolutè est destruibils à DEO, operante contra exigentiam ejusdem, & contra justitiam providentiam in linea supernaturali: ergò etiam Angeli in linea naturali exigunt perpetuari, etsi absolutè destrui possint à DEO, operante contra exigentiam naturalem ipsorum, & contra justitiam providentialem in linea naturali.

Ulteriùs considerandum est, quomodò perfectiones Divinæ participentur à creaturis, magìs, aut minùs quoad esse, intelligere &c. sic etiam æternitas ipsius tanquam mensura infinita à nobis, ùt modò sumus, participatur solùm quoad mensuram temporalem, ab Angelis autem quoad ævum, habente initium, & nunquam finem, quo etiam animam rationalem reducimus; quod ergò DEUS habet per essentiam suam, creaturæ habent per participationem proportionaliter ad cujuslibet naturam.

ARTICULUS III.

Quomodò Angeli distinguantur?

26 OLim varia erat quæstio inter Theologos, Sacræ Scripturæ interpretes, etiam Philosophos I. quidem, an possibiles sint Angeli specie distincti? & II. num tales actu existant? III. an defactò dentur Angeli so-

solô numerô distincti, vel saltem possibiles sint in specie quadam infima vel subalterna? Quoad tertium S. Bonaventura *2. sentenz. dist. 9. quæst. 1. art. 1.* docet, & post ipsum alii, omnes Angelos solô numerô distingui. Fundamentum desumpsisse videntur ex S. Athanasio *quæst. 8. ad Antiochum*, ubi expressè scribit: *Una, & eadem est essentia Angelorum, sicut etiam est una essentia hominum.* Subs. sed isti solô numerô sunt distincti: ergò & Angeli. Accedit Sanctus Anselmus in lib. 2. *Cur DEUS homo: Angeli sunt unius naturæ.* Pro qua sententia plures SS. PP. adducuntur. De probabilitate extrinseca hujus opinionis non dubitant aliqui, quamvis Thomistis intrinsecè videatur improbabilis. Quoad primum, & secundum

Dicendum est conformiter S. Thomæ hìc, non 27
tantùm possibiles esse Angelos specie distinctos, sed modò omnes ita distingui, excluſa distinctione purè numerica.

Probatur ex S. Thoma hìc *art. 4. in Corp.* omnia, quæ conveniunt specie, & differunt solô numerô conveniunt in forma, & disconveniunt in materia: sed nullus Angelus convenit cum altero in forma, & disconvenit in materia: ergò nullus Angelus distinguitur ab altero solô numerô. Maj. certa est in illis, quæ solô numerô distinguuntur, utì homines, leones, equi, &c. Min. quoad secundum membrum patet; quia Angeli non sunt compositi ex materia, imò absolutè non possunt componi, cùm sint formæ completæ, ex quibus non potest consurgere compositum physicum *per se* tale. Ex quo probatur membrum primum minoris: in tantum enim unus Angelus cum altero conveniret in forma, in quantum præcisè principium distinctionis esset materia: sed materia nulla est: ergò nullus Angelus cum altero convenit in forma.

Declaratur: ideò unus homo cum altero convenit in forma; & sic de leone &c. quia principium distinctionis in illis est sola materia: ergò quia inter duos Angelos materia non potest esse principium distinctionis, unus cum altero nunquam convenit in forma; discursus fundatur in S. Thoma.

28 Confirmatur: in omnibus solô numerô distinctis necessariò aliud est principium distinctionis specificæ, aliud numericæ, ùt patet ab instantiis: sed in Angelis non est aliud, & aliud distinctionis principium: ergò non possunt solô numerô distingui. Min. prob. ex defectu materiæ, quæ deberet aliud principium distinctionis numericæ constituere. Estque hæc apertè sententia S. Thomæ præsertim *1. part. quæst. 3. art. 2.* ubi quærit, an in DEO sit compositio formæ & materiæ? *Ad tertium* autem sic respondet ratione individuationis: *Dicendum, quòd formæ, quæ sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam, quæ non potest esse in alio, cùm sit primum subjectum substans: forma verò, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest à pluribus:* NB. *at illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed EST PER SE subsistens, ex hoc ipso individuatur, quòd non potest recipi in alio.* Ex his infero: sicut juxta S. Thomam entia inferiora sortiuntur suam individuationem ab eo, in quo recipiuntur, & ex eo imperfecta sunt, quia limitantur: ita Angeli desumunt suam individuationem ab eo, quòd recipi non possint, quod provenit à perfectione, excludente limitationem *ad infrà:* hæc autem illimitatio desumitur ab actualitate Angeli: ergò rectè inferunt Thomistæ ab uno, eodémque principio desumi individuationem, & speciem Angeli, sola inter utrumque mediante distinctione rationis.

29 Scio quidem, Thomistas quàm plures præsertim Salmanticenses hìc *tract. 7. disp. 1. à num. 82.* & clarissimè in-

Con-

Confirmatione tertia non admittere distinctionem virtualem, consequenter nudam rationis distinctionem extrinsecam. Pro quo forsan desumunt fundamentum ex *art. 2.* hìc in respons. *ad primum*, ubi postquàm diversitatem inter materialia, & spiritualia quoad genus, & differentiam (est enim commune illud: *genus desumitur à materia, & species à forma*) S. D. assignavit, quòd scilicet in inferioribus illud principium procedat, *quia unum est determinans, alterum determinabile, addit: in rebus immaterialibus non est aliud determinans, & determinabile, sed unaquæque earum secundùm se ipsam tenet determinatum gradum in entibus, & ideò genus, & differentia in eis non accipitur secundùm aliud, & aliud, sed secundùm unum, & idem*, NB. *quæ tamen differunt secundùm considerationem nostram*; in quantum enim intellectus noster considerat illam rem, ut indeterminatè, accipitur in eis est ratio generis, in quantum verò considerat, ut determinatè, accipitur ratio differentiæ: atque ex istis nudam distinctionem extrinsecam inferunt, sed contra consequentiam doctrinæ Thomisticæ; nam

Contra est I. in via Thomistica non datur distinctio rationis ratiocinatæ sine fundamento ex parte objecti: sed illud fundamentum, est ipsa distinctio virtualis: ergò ubi est distinctio rationis ratiocinatæ, erit & distinctio virtualis. 30

II. utique S. Doctor non admiserit distinctionem nugatoriam, qualis est distinctio rationis ratiocinantis: ergò admisit veram distinctionem, & fundamentum ex parte objecti. III. intellectus utique habet fundamentum, aliam speciem considerandi in Seraphino, quàm in Angelo infimi Ordinis; cùm ille sit majoris immaterialitatis, & perfectionis, quàm iste: ergò & habet fundamentum aliud, principium individuationis concipiendi propter majorem potentialitatem, quô enim aliquid plus po-

potentialitatis involvit, eò minus actualitatis habet, quamvìs non recipiatur in materia, minùs tamen recedit à materia, quàm Seraphim. Dum ergò S. Thomas ait, ab uno, & eodem desumi individuationem, & speciem, intelligendus est de uno realiter, & virtualiter duplici, sic ùt ipse S. Doctor *cit. loc.* ex *1. part.* ait. Intellectus noster potest concipere Angelum ùt *indeterminatè*, scilicet præcisè considerando naturam Angelicam tanquam substantiam completam purè spiritualem, & in hoc ponit rationem genericam, aliter determinatè secundùm certum gradum substantialem, seu secundùm aliam, & aliam perefectionem essentialem, sic e. g. à gradu communi substantiæ immaterialis ascendit ad gradum Archangelorum, & sic ulteriùs usque ad Seraphim, vel etiam in infimo ordine Angelorum unum considerat secundùm rationem communem, dein secundùm specificam, quis jam negabit distinctionem virtualem inter gradum communem, & specificum, quamvìs realiter non distinguantur?

31 Si dicas: conducere ad pulchritudinem, & varietatem Universi, si plures Angeli sint ejusdem speciei, sicut fit in hominibus: ergò conveniens est distinctio solùm numerica, ut in primo ordine Angelorum sint omnes ejusdem speciei, distincti tamen specie à secundo ordine, & sic ulteriùs, ut denique omnes ejusdem ordinis distinguantur solô numerô, ex quibus magìs elucet Hierarchia cœlestis, suô modô conformis ordini aliarum rerum inferiorum. Quod confirmari potest ex eo, quòd sit major familiaritas, & conjunctio in societate Angelorum, si dentur plures ejusdem speciei, qui ad æqualia officia deputantur, e. g. ad custodiam hominum æqualium, vel ad aliqua peragenda, ùt contigit in translatione domûs Lauretanæ, quæ fuit ex Palæstina translata in Italiam ab Angelis. Ex hæc confirmat S. Damascenus lib. 1. de duabus

bus volunt. Christi. *Oportet inter Angelos reperiri distinctionem specificam, tamen oportet etiam esse plures ejusdem speciei, ut nimirum consociati majorem capiant voluptatem.*

Respondet S. Thomas quoad substantiam hìc cit. art. 4. ad 3. *Quòd bonum speciei præponderat bono individui: unde multò melius est, quòd multiplicentur species in Angelis, quàm quod multiplicentur individua in una specie.* Ex quo responderi potest ad ulteriorem discursum; quòd satìs, imò magìs eluceat pulchritudo Hierarchiæ cœlestis ex subordinatione ordinum inferiorum ad superiores, si in ordine quolibet omnes distinguantur specie propter majorem perfectionem ex responsione S. Thomæ.

Ad confirmationem dici potest, non rectè fieri argumentum ab istis inferioribus sensibilibus ad illa cœlestia, quæ talibus affectibus subjecta non sunt. Authoritati S. Damasceni opponendus est S. Thomas, qui rem istam ad rigorem scholasticum examinavit, non autem ille. Cæterùm

Dices pro Sententia S. Bonaventuræ, quam etiam 32
tenet Palavicinus apud Haunoldum *lib. 1. hìc num. 828.* Angeli conveniunt in prædicato nobilissimo, scilicet intellectivo, quod fundatur in immaterialitate completa: sed taliter convenientes non distinguuntur specie, ùt constat in homine: ergò solô numerô. Suppositum Maj. probatur; quia non potest in Angelis assignari prædicatum præstantius, quàm intelligere objecta independenter à sensibus; est etiam quivis Angelus substantia intellectualis completa. min. autem constat à pari de hominibus, qui propter convenientiam in rationali tanquam præcipuo solô numerô distinguuntur.

Nec obest, quòd unus Angelus propter species per- 33
fectiores perfectiùs intelligat, quàm alius; nam hoc est solùm secundùm magìs, & minùs, quæ non variant spe-

ciem, ùt iterum habemus in ſpecie humana, in qua unus perfectiùs ratiocinatur, quàm alter, nec tamen hoc variat ſpeciem.

Ad hoc argumentum meus Clariſſimus P. Profeſſor olim in Theologia cum Haunoldo, & aliis reſpondet negando min. abſolutè, inſtantiam dant in equo, & leone, qui, licèt conveniant in prædicato præcipuo, ſcilicet in ratione ſenſitivi, juxta omnes tamen diſtinguuntur ſpecie propter diſconvenientiam in hinnibilitate, & rugibilitate, tanquam prædicatis minùs nobilibus. Hinc apud iſtos videtur hæc regula valere: omnia quæ differunt in prædicato præcipuo differunt ſpecie: non autem iſta: quæ differunt ſpecie, differunt in prædicato præcipuo, ex data inſtantia de equo, & leone. Et hoc intelligunt in ſenſu phyſico; in ratione autem Logica permittunt hinnibilitatem, & rugibilitatem eſſe quid perfectius, eò quod dicant aliquid determinatum, ſenſitivum autem quid genericum, & indeterminatum. Quod ultimum videtur gratìs dici, quia ipſa ratio Metaphyſica, vel Logica, ejúsque major, & minor perfectio deſumitur ex ratione Phyſica, in ſublunaribus differentia ſcilicet à forma, & genus à materia.

34 Ad *nec obeſt* rectè dicunt, magìs, & minùs accidentale non variare ſpeciem, variare tamen ſi magìs & minùs ſit ſubſtantiale; ſic in Angelis magìs, & minùs provenit à natura Angeli, ejusque majori præ altero perfectione ſubſtantiali, quia operationes perfectiores, & quidem permanenter tales arguunt perfectiorem ſubſtantiam. Aliud eſt in homine, ubi magis, & minùs eſt accidens, dependens à melioribus organis in uno, quàm in altero. Nec operationes ſunt permanenter tales, & omni tempore, ſed pro diſpoſitione corporis. Hæc illi quoad ſubſtantiam, ſed tamen

Re-

Respondeo quoad primum aliter, & concessa min. argumenti, quæ mihi est certissima, nego Maj. intellectivum enim simpliciter acceptum *ùt sic* non est prædicatum nobilissimum, quia est tantùm genericum, omnibúsque commune. Ad prob. nego causalem, & assigno tanquam prædicatum præstantius intelligere specificum, per quod unus ab altero differt, sicut convenit in generico. Hoc autem specificum desumitur ex perfectionibus speciebus, & operationibus, quæ arguunt perfectiorem substantiam, majorem immaterialitatem, & actualitatem; sic Angelus superior, cùm inferiorem comprehensivè cognoscat, non vicissim, utique est majoris intellectualitatis, quàm inferior, & sic ab Angelis ascendendo usque ad supremum. Cætera patent; nam substantia intellectualis completa est quid genericum, quod contrahitur per intellectualitatem perfectiorem. De hominum convenientia constat ex dictis, in quo convenimus.

Instantia de equo, & leone, qua minorem Pallavici- 35
nus infringere conatur, apud me nihil probat; nego enim, rationem sensitivi esse præcipuam, quia est purè generica, & conveniens etiam pediculis, & pulicibus, quis autem credat, leonem non esse substantialiter perfectiorem hîs animalculîs tam ignobilibus? non esset autem perfectior, quamdiu cum illis convenit in prædicato præcipuo, à quo perfectio desumitur.

Dico ergò prædicatum præcipuum in illis animalibus 36
nos latere, ideóque essentialiter primo definiri non posse; locô igitur essentialis prædicati sumimus proprietatem metaphysicè essentialem, quæ, cùm per se permanens sit, arguit quoddam principium intrinsecum, fundans differentiam, tanquam prædicatum specificum, & ita discurrimus in Philosophia, ad quam provoco. Et certè nemo prudentum non arguit aliam naturam in-

equo, aliam in leone, cæterísque animantibus perfectis ad se invicem comparatis. Hinc apud me utraque propositio, quam ipsi formârunt, est vera. Cæterùm non omnino rejiciendos esse, existimo antiquiores Thomistas, admittentes saltem de possibili absoluto distinctionem numericam in Angelis, inter quos à Salmanticensibus hìc §. 5. *num.* 95. numerantur Ferrara, Banez, Bubalus, & Capreolus, cum quibus

37 Dico II. Non videtur absolutè implicare distinctio sola numerica.

Probatur negativè: rationes contrariæ non sunt evidenter demonstrativæ: ergò adhuc solutionem admittunt: sed quamdiu rationes patiuntur solutionem commodam, tamdiu non sunt evidenter demonstrativæ: ergò absolutè non tollunt possibilitatem. Probatur discursus: ratio prima conclusionis, & secunda confirmationis tantùm probant, quòd in Angelis implicet materia prima, ideóque Angeli distingui non possint solô numerô: sed hæc ratio non est evidenter demonstrativa pro Angelis; cùm præter materiam primam detur aliud principium individuationis in substantiis spiritualibus: ergò solutionem admittit.

Declaratur hoc: damus contrariæ sententiæ, Angelos multiplicari non posse, sicut sublunaria, scilicet per materiam signatam quantitate cum aliis proprietatibus, quas Porphyrius in sua Isagoge ex Philosopho ùt Complutenses putant, adducit in trito illo versu.

Forma, figura, locus, styrps, Nomen, Patria, tempus.

Hæc enim afficiunt materialia, posse tamen aliter Angeli multiplicari; quod

38 Probatur: Quod præstat materia prima in sublunaribus, hoc facit potentialitas in spiritualibus: sed materia prima præstat in sublunaribus individuationem numeri-

cam:

cam: ergò eandem in spiritualibus præstat potentialitas. Prob. Maj. & parit. ideò materia prima præstat individuationem, quia habet esse commune aliis, ex quo cum differentia consurgit species: sed etiam in Angelis potentialitas potest esse prædicatum commune, ex qua cum differentia provenit species: ergò etiam potentialitas potest præstare individuationem in Angelis.

Explicatur min. potentialitas in Angelis, quamvìs sit in se aliquid actuale reale; quia tamen respectu superioris gradûs in intellectualitate dicit adhuc illius privationem, vel saltem negationem, est quid imperfectum, quamvis sit aliquid perfectum respectu inferioris ex. gr. animæ rationalis, ratione autem illius imperfectionis *ad suprà* dicit rationem generis, quamvìs respectu inferiorum dicat gradum differentialem, quod clarissimè patet e.g. in vivente, & sensitivo, seu animali; nam licèt vivens respectu superioris generis e.g. substantiæ, quæ est supremum genus univocum in arbore prædicamentali, dicat perfectionem, est tamen quid imperfectum respectu differentiæ scilicet sensitivi, & sic est de animali respectu gradus differentialis. Accedit, quòd S. Thomas suprà allatus ad finem dicat, formas per se subsistentes ex hoc ipso individuari, quòd recipi non possint in aliis. Ex quibus

Argumentor I. ideò juxta S. Thomam hìc *art. 2. ad 1.* 39
alia inferiora possunt multiplicari solô numerô; quia in illis aliud est determinans, aliud determinatum: sed etiam in Angelis aliud est determinans, aliud determinatum: ergò etiam Angeli possunt multiplicari solô numerô. Maj. est S. Thomæ ex instantia ibi allegata, ait enim, *in rebus materialibus aliud est, quod determinat ad specialem gradum, scilicet forma, & aliud quod determinatur, scilicet materia, unde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia.* Min. prob. esse immateriale est in Angelis aliquid indeterminatum, scilicet

conveniens pluribus, & est aliquid determinans scilicet determinatus gradus actualitatis: ergò etiam in Angelis est aliquod determinatum, & determinans. Antec. videtur clarum, quia in substantia immateriali completa, quæ non est receptibilis in materia conveniunt prorsus omnes Angeli; cúmque possit fieri perfecta abstractio, convenientia est univoca; nam si substantia spiritualis abstractè sumitur, & posteà dividitur, fit in membra hæc: completa scilicet in Angelo, *incompleta* in anima rationali, completa dein ulteriùs penès altiores, & altiores gradus intellectualitatis dividitur, & sicut ratio completæ substantiæ ùt sic in Angelis est genus, ita gradus intellectualitatis est differentia. Et hic discursus est conformis S. Thomæ hic *art. 4. ad 2.* dicenti: *Magis, & minùs secundùm quod causantur ex intensione, & remissione unius formæ non diversificant speciem:* NB. *sed secundùm quod causantur ex formis diversorum graduum, sic diversificant speciem - - -* & posteà concludit: *& hoc modo Angeli deversificantur secundùm magis, & minùs.* Consequenter juxta S. Thomam unus Angelus distinguitur specie ab altero propter formam diversorum graduum, quamvìs conveniant in ratione communi immaterialitatis, & hoc ipso potentialitatis. Ex quibus

40 Argumentor II. potest DEUS producere plures Angelos ejusdem immaterialitatis, & ejusdem in intellectualitate gradus: sed tales Angeli distinguerentur solo numero: ergò potest DEUS producere plures Angelos solô numerô distinctos. Maj. subsistit, donec ostendatur implicantia ex ratione; dein non video, cur DEUS non possit alteri communicare prædicata eadem, quibus gaudet e.g. S. Michaël, ita, ut alter sit ejusdem potentialitatis, quæ esset genus, & ejusdem in intellectualitate gradûs, qui esset differentia, ut magìs uterque non plus differret,

ret, quàm Petrus, & Paulus: amabò ostende implicantiam, sed ex tali ratione, quæ DEI Omnipotentiam constringat, & limitet.

Si dicas, in Angelis deesse materiam, à qua genus de- 41
sumatur, nihil dicis, oppono enim S. Thomam in *quæst. unica de Spirit. Creat. art. 1. ad 24.* ubi respondet ad objectionem hanc: *Omne, quod componitur ex genere, & differentia componitur; differentia autem sumitur à forma, genus autem à materia,* ùt patet ex *8. Metaph.* cùm ergò substantia spiritualis sit in genere, videtur, quòd sit composita ex materia, & forma. Et hoc sibi etiam objicit hìc *art. 4.*

Ad objectionem istam *cit. loc.* ait: dicendum quòd „ in rebus compositis ex materia & forma, genus sumi- „ tur à materia, & differentia à forma, ita tamen, quòd „ per materiam non intelligatur materia prima, sed se- „ cundùm quod per formam recipit quoddam esse im- „ perfectum, & materiale respectu specifici, sicut esse ani- „ malis est imperfectum, & materiale respectu hominis. „ Dein de Angelis subjungit: *subtractâ ergò materiâ* à sub- „ stantiis spiritualibus, remanebit ibi genus, & differentia, „ NB. non secundùm materiam & formam, sed secun- „ dùm quod consideratur in substantia spirituali, NB. tam „ id, quod est commune sibi, & imperfectioribus sub- „ stantiis, quàm etiam id, quod est sibi proprium: ergò juxta S. Thomam in Angelis datur aliquid commune, & proprium, ex quibus conjunctis consurgit species, est ergò sola quæstio, an DEUS possit producere idem commune, & proprium, uti producit in hominibus, & sic valeat creare plures Angelos ejusdem speciei, donec probes implicantiam. Sit

(†)

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Angelo quoad Corpus.

EXplicatâ, quantum fieri potest, Angelorum existentiâ, & naturâ, quærit S. Doctor in *quæst. 51.* de comparatione Angelorum ad corpora, & in *1. art.* quærit, utrùm Angeli habeant corpora sibi naturaliter unita? dein utrùm assumant, & in assumptis opera vitæ exerceant. Subinde in *quæst. 52.* descendit ad locum Angelorum. Nos brevitatis causâ agimus solùm de Angelo quoad Corpus.

ARTICULUS I.

An Angeli habeant corpora sibi naturaliter unita, vel saltem assumere possint?

42 QUoad primum membrum status quæstionis est, an Angeli sint, vel saltem possint esse conjuncti corporibus per modum formæ informantis, & sic ea vivificare? olim affirmativam juxta Vasquez tenuerunt Philosophi, omnésque illi, qui astris, aliísque corporibus cœlestibus vitam, qua moverentur ab intrinseco, attribuerunt. Ita apud citatum Vasquezium docuit Plato, qui in Epinomide jussit cœlos adorari, & astra tanquam Numina. Expressè docuit Aristoteles in *lib. 2. de cœlo textu 13.* dicens cœlum esse animatum. Imò & S. Augustinus *lib. 2. de Genes. ad litteram* hanc quæstionem proponit, sed non definit, quia ut in Enchiridio *cap. 58.* dicit, non satìs exploratum esse, an sidera mentem, vel sensum habeant, & ad Beatorum societatem pertineant &c. essent ergò juxta communem ex Aristotele Angeli illæ animæ

mæ cœlorum, & astrorum, consequenter haberent corpora sibi naturaliter unita: sed meô judiciô ex animatione præcisè cœlorum, & astrorum nequit determinatè inferri de Angelis, cùm animatio possit fieri mediante anima aliqua vegetativa, sensibili, aut rationali, quod ultimum ex S. Augustino colligi posse videtur (si tamen fideliter refertur à Vasquezio) dubitante, an sidera mentem habeant, & ad Beatorum societatem pertineant? hoc enim solùm verificari posset de anima rationali, quæ Beatitudinis est capax, nec rectè de Angelis, qui vel Beati jam sunt, aut damnati &c. sed quidquid sit

Dico I. Angeli non possunt habere corpora sibi na- 43
turaliter unita.

Ratio est facilis ex Philosophia: nullum ens substantialiter completum, & per se subsistens potest alteri conjungi per modum formæ informantis: sed omnes Angeli sunt entia substantialiter completa, & per se subsistentia: ergò nullus Angelus potest alteri uniri per modum formæ informantis. Maj. est certa; quia non potest fieri compositum substantiale per se.

Pro objectionibus ex PP. solvendis notanda est responsio S. Thomæ hoc *art. ad 1.* ubi docet, multorum errorem fuisse, existimantium, omne ens esse corpus, sic dixerunt DEUM esse animam mundi, scilicet veluti formam corpoream, quod est contra fidem, licet in aliquo sensu tolerari posset opinio, in quantum scilicet DEus, ùt primus motor omnia movet, & dirigit. Origenes non audens simile quid DEO tribuere, concessit tamen Angelis, sed ùt advertit S. Doctor, secutus est antiquos Philosophos, sæpè deceptus. Si quando etiam SS. PP. solum DEUM dicant incorporeum, intelligendi sunt, quòd solus DEUS à se, & per suam essentiam sit talis, alii verò per participationem, vel quòd Angeli sæpiùs ad aliqua peragenda-

indigeant, & assumant corpora. Ut S. Gabriel in sua ad Virginem legatione, Raphaël ad iter cum Tobia peragendum.

44 Dico II. Angeli possunt assumere corpora. Est communis

Colligitur ex S. Scriptura locis jam *cit.* & passim alibi, præsertim *Genes. 18. v. 2.* ubi Abraham apparuerunt tres Angeli, qui comederunt cum ipso. Et *Genes. 19. à v. 1.* venerunt duo Angeli ad Lot, qui eis etiam convivium instruxit, quamvìs reverà non comederint (hoc enim est vivi corporis, & nutribilis) sed tantùm viderentur manducare, habuerunt tamen corpora assumpta, & formata. Unde ut verba S. Scripturæ salventur.

45 Dico III. Illa apparitio Angelorum non est merè imaginaria, ùt apud S. Doctorem hìc *art. 2.* aliqui docuerunt, sed vera

Ratio S. Thomæ est: illa quæ videntur per solam imaginationem non videntur indifferenter ab omnibus, seu non videntur constanter eodem modo: sed Angeli apparentes in citatis locis visi sunt indifferenter ab omnibus, & constanter eodem modo: ergò visio illa non solùm imaginaria, sed vera censenda est. Min. constat ex Scriptura: nam Angeli Abrahami visi sunt à Sara, cui filium Isaac nasciturum prædixerunt, visi sunt à tota familia: ita Angeli venientes ad Lot visi sunt à viris etiam sceleratis &c. de Raphaël constat. Major. declaratur: illud, quod visioni imaginariæ objicitur, est in sola imaginatione videntis, & vel ideò non videtur ab aliis indifferenter, imò nec videri potest ab aliis, non potentes inspicere alterius phantasiam, seu potentiam imaginariam, utì sæpè contigit Sanctis in extasi, in qua diversa viderunt, aliis nihil videntibûs; unde S. Doctor infert, tanquam manifestum, apparitiones veras contigisse secundùm corpoream

ream viſionem; quia videbatur id, quod poſitum erat extra videntem: cùm autem Angeli neque corpora ſint, nec habere poſſint corpora naturaliter unita, patet, quòd Angeli interdum corpora aſſumant.

Cæterùm præveniendo Objectiones ſciendum eſt 46
Angelos, dum aſſumunt corpora, ea movere ùt *motores repræſentatos*, quia non ſufficit, ut tantùm uniantur corpori, quod movent; aliàs in Sententia peripatetica intelligentiæ aſſiſtrices dici poſſent aſſumpſiſſe cœlos, aut dæmones corpora obſeſſa, quod abſurdum eſt, imò & Angelum aſſumpſiſſe Aſinam Balaam, cujus linguam, & fauces movit; dum enim Propheta Balaam ſæpiùs percuteret Aſinam ſuam, nolentem pergere in via, quia Angelus Domini (ne progrederetur) ſtrictô gladiô minitabatur Aſinæ, nihil vidente Balaam, Aſina dixit *Num.22.v.28. quid feci tibi? cur percutis me ecce, jam tertiò: aperuit enim Dominus*, ſcilicet per Angelum, *os Aſinæ, ut loqueretur*. Multo minùs iſta aſſumptio corporum intelligenda eſt de aſſumptione hypoſtatica, ac ſi Angelus ſuâ ſubſiſtentiâ terminaret naturam corporis, hoc enim abſolutè impoſſibile eſt; quia ſic aſſumendo deberet ſubſiſtentiam corporis tollere, eámque ſuâ ſupplere, quod ſuperat omnem virtutem creatam, in quo enormiter erravit Origenes, qui ex illis verbis: *Ecce ego mitto Angelum meum &c.* intulit, S. Joannem Baptiſtam fuiſſe Angelum incarnatum. Idem de Malachia Propheta exiſtimavit propter verba: *Factum eſt Verbum Domini in manu Angeli, ſcilicet in manu Malachiæ*: dicti autem tales, nempe Malachias, & S. Joannes Baptiſta, ſunt Angeli ex officio, quo fungebantur, non ex natura.

Dicuntur ergò *ùt motores repræſentati*, id eſt, corpus 47
aſſumptum, & motum eſt ſimilitudo Angeli, ipſum ſuô modô repræſentans, & quaſi ipſius Perſona apparens, ùt reipſa dicit S. Thomas hìc *ad 2. quod corpus aſſumptum unitur*

Angelo, non quidem ut forma, neque solùm ùt motori, sed sicut motori repræsentato per corpus mobile assumptum. Quatenùs per figuram, & proprietates exteriùs sensibiles repræsentet virtutes intelligibiles. Cæterùm ùt S. Doctor hoc *art. ad 1.* advertit, Angeli non indigent corpore assumpto propter se, sed tantùm propter nos, ut mandata Divina exequantur, & familiariter nobiscum conversentur ad ostendendam intelligibilem societatem, quam olim habituri sumus cum ipsis in Patria. Insuper juxta S. Doctorem apparitiones Angelorum in veteri testamento fuerunt quædam figuræ illius, quòd Verbum Divinum esset assumpturum corpus humanum; atque ideò ad illam apparitionem ordinatæ erant, qua Filius DEI apparuit in carne.

Si dæmones quandóque assumunt corpora, & sæpè se in Angelos lucis transformant, quod boni Angeli ad nostrum profectum faciunt, ipsi ad deceptionem facere moliuntur, ut docet S. Thomas *quæst. 6. de potentia art. 7. in Corp.* ad finem: imò semper dæmones in corporibus assumptis, quomodocunque fiat, sive assumant speciem hominis, aut animalis, non nisi nocere intendunt.

48 De cætero corpora assumpta juxta cõmunem non sunt ordinariè mixta perfecta, sed juxta S. Thomam hìc *ad 3.* ex vaporibus, corpusculis subtilioribus, & aëre condensato, aliísque, quæ in figuras adunantur, externa corpora repræsentantibus compacta.

Si quæras, qua virtute Angeli hoc faciant, respondet hìc S. Thomas *ad 2.* corpora sensibilia Divina virtute formari ab Angelis, ut congruant ad repræsentandas intelligibiles proprietates, & *ad 3.* repetit, corpora ex aëre condensato virtute Divina formari. Quod tamen universaliter non videtur procedere de virtute supernaturali, cùm etiam mali Angeli sæpè assumant corpora ad pes-

pessimos fines, verisimile non est, DEUM sua virtute formare talia corpora, & Angelis utì tanquam instrumento. Unde Vasquez *1.p. disp.189. cap.4. ad finem*, ait: corpora ordinariè ab Angelis assumi virtute naturali à DEO primitus concessa, pro quo *cit.* S.Albert. M. & S.Bonaventuram; forsan etiam dici posset, quòd virtus boni Angeli respectivè sit *Divina*, quòd à DEO non restringatur, sicut in malo Angelo, ne sæviat nimiùm, homines in assumpto corpore seducendo, ita Clarissimus P. Peri hìc *art.1.* ubi *ad finem addit*, dici posse, ly *Divina* ad differentiam in assumptione Corporum inter Angelos bonos, & malos ex eo, quòd boni non assumant corpora nisi ad Imperium Divinum, ut idem sit, virtus Divina, quod Imperium Divinum. Dein absurdum non esset, admittere, quòd Angeli virtute Divina corpus assumant, quando ad supernaturalia, & graviora munera mittuntur, qualiter missus est Gabriel Angelus ad B. V. ad annuntiandum Incarnationis Mysterium: quando Angelus apparuit Moysi in Rubo, & in monte Sinai, ubi insolito splendore refulgent. Alia passim in Scripturis exempla sunt, etiam in Historiis, dum apparuerunt SS. Martyribus in carceribus obscuris, quos sua luce replêrunt.

Quæres I. an etiam DEUS in veteri testamento in 49
corpore assumpto apparuerit? Ratio dubitandi est ex Scriptura, quæ sæpè similis apparitionis meminit, sic *Genes.18. v.1.* de Abraham dicitur: *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre &c.* iterum *Genes.22.* DEUS præcepit Abraham, ut immolaret filium Isaac. Exodi 3. v. 2. *Dominus apparuit* (scilicet Moysi) *in flamma de medio Rubi.* Cùm ergò verba Scripturæ sint accipienda in sensu proprio, nisi sequatur absurdum, asserendum esse videtur, DEUM in corpore assumpto apparuisse, quod facere potuit.

Respondeo tamen, probabiliùs DEUM solùm per Angelos apparuisse, & per eosdem hominibus locutum fuisse, & taliter interpretandi Scripturam occasionem faciunt sancti Patres. Imò S. Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. 11.* ex professo hanc quæstionem examinat, & concludit, apparitiones fuisse factas ministeriô Angelorum: si alibi contrarium docuisse asseratur, utì *Epist. III.* ex aliorum Sententia scripsisse dicendus est, sicut in *cit. Epist.* ex mente S. Hieronymi, Gregorii Nazianzeni, & Ambrosii scripsit. Præ aliis Patribus attendendus est S. Dionysius Areopagita, qui *cap. 4. de Divinis Nominibus* id expresè docet; ait enim universaliter, Angelos esse quasi Divini silentii interpretes, ideóque de substantiis spiritualibus prosequitur: *Angelorum præcipuè nomine appellantur propterea, quòd primum in eis sit Divina illustratio, ac per eos ad nos perveniant eæ, quæ naturam nostram superant, patefactiones.* Plura ibi docet, præsertim legem Moysi per Angelos fuisse promulgatam. Me, ut hanc Sententiam probabiliorem æstimem, movet S. Stephanus in *Actibus Apostolorum cap. 7.* suâ in Judæos invectivâ, in qua *vers. 30.* de Moyse ait: *Apparuit illi in deserto montis Sina* NB. *Angelus in igne flammæ Rubi.* Et quamvìs in *v. 31.* dicat: *Facta est ad eum vox Domini.* Vox illa DEI erat mediante Angelo, quod patet ex *vers. 38.* ibidem, ubi iterum de Moyse ait: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo* NB. *qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vitæ* (scilicet Præcepta Decalogi) *dare nobis.* Si apparitio in Rubo, si promulgatio legis, quæ summa erant mysteria, per Angelum factæ sunt, cur non & alia? Et hic interpres plenus Spiritu Sancto par est centum aliis.

50 Quæres II. An Angeli in Corporibus assumptis valeant exercere actiones vitales? certum est, Angelos in corporibus elicere actus intellectûs, & voluntatis, sibi com-

competentes, & vitales; cùm enim intelligere sit vita in Angelis, à cognitionibus nunquam cessare possunt: est ergò quæstio solùm de actionibus vitalibus exercitis in corporibus assumptis.

Respondeo negativè ex ratione: quia omnis actio vitalis procedit à principio intrinseco vitali: sed operationes Angelorum in corporibus assumptis non procedunt à principio intrinseco vitali: ergò non sunt vitales. Maj. est ex Philosophia certissima; quia actio vitalis est motus viventis; motus autem corporis assumpti non est viventis, cùm nec corpus sit vivens; est ergò motus ille purè materialis, sicut motus horologii, aut currûs respectivè ad horologium, & currum. Hinc S. Thomas hìc *art. 3. in Corp.* concludit: *nihil opus habere vitæ, quod non habet vitam, quæ est potentiale principium talis actionis.* Ex quibus

Infertur I. Motum progressivum in Angelis, vocem, 51
aliáque similia non esse actus vitales. Quia non proveniunt à principio vitali conjuncto: moventur tamen Angeli in corpore assumpto per accidens, ùt docet S. Thomas hoc *art. ad 3.* sicut motor movetur in mobilibus; sunt ergò e. g. hìc, quod non alibi. Locutio Angelorum non est propriè talis, sed est simile quid, quatenùs formant sonos in aëre similes vocibus humanis. De comestione jam dixi; quia propriè talis, est sumptio cibi convertibilis in substantiam aliti, *cùm essem vobiscum*, ait Raphaël ad Tobiam cap. 12. *videbar quidem manducare, & bibere, sed ego potu invisibili, & cibo utor.*

Infertur II. Angelum neutiquam posse validè bapti- 52
zare, absolvere, aut consecrare; quia ad ista requiruntur verba articulata, propria, & à principio vitali provenientia. Insuper Angelum non posse alia, ad quæ vita requiritur, exercere; sic non potest generare &c. sæpè tamen

le-

legitur ex coitu dæmonum cum ſagis natos fuiſſe partus utcunque monſtroſos. Ad quod S. Thomas hìc *ad 6.* ſic loquitur: *Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum naſcuntur, hoc non eſt per ſemen ab eis deciſum, aut à corporibus aſſumptis, ſed per ſemen alicujus hominis ad hoc acceptum, utpote quòd idem dæmon, qui eſt ſuccubus ad virum, fiat incubus ad mulierem, ſicut & aliarum rerum ſemina aſſumunt ad aliquarum rerum generationes* (ùt S. Auguſtinus dicit *lib. 3. de Trinit.*) *ut ſic ille, qui naſcitur, non ſit filius dæmonis, ſed illius hominis, cujus eſt ſemen acceptum.* Hæc S. Doctor.

QUÆSTIO III.

De via Angeli quoad gratiam, & meritum.

EA, quæ hactenus dicta ſunt, ſpectant Angelum quoad naturalia principaliter conſideratum, quamvìs ſubinde alia interceſſerint; dicenda autem reſpiciunt Angelum quoad ſupernaturalia, ſcilicet gratiam, & meritum, pro quo ſit

ARTICULUS I.

An Angelus in primo inſtanti creationis habuerit gratiam ſanctificantem, & quomodò?

53 SUppono ex S. Thoma *art. 2.* Primò, Angelos non fuiſſe productos ab æterno; cùm tamen oppoſitum ex errore Ariſtotelis evidenter deduci poſſit, admittentis hunc mundum ab æterno. Eſtque defactò de fide, quidquid ſit de poſſibilitate, de qua Philoſophi.

Secundò, Angelum non fuiſſe productum ante mundum

dum corporeum ex illo *Genes. 1. In principio creavit DEUS Cœlum, & terram*, & quamvis S. Thomas hìc *art. 3. in Corp.* dicat, duplicem quoad hoc Doctorum sententiam esse; probabiliorem tamen judicat illorum, qui docent, quòd Angeli simul cum creatura corporea sint creati, subjungit tamen: *quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipuè propter sententiam Gregorii Nazianzeni.* Imò *cit. art. ad 1.* fatetur, contrariam fuisse Doctorum Græcorum, concorditer sentientium, quòd Angeli sint ante mundum corporeum creati. Hodie tamen standum est Concilio Lateranensi, ex quo refertur in *cap. 1. de Summa Trinit.* quòd DEUS ab initio utramque de nihilo condiderit creaturam, spiritualem, & corpoream &c. vide suprà præfationem, ubi de istis egimus, & quia illud *cap.* agit de fide Catholica, habet vim decisivam.

Suppono tertiò, Angelum fuisse creatum in Cœlo 54
Empyreo; rationem congruam adducit S. Thomas hic *art. 4. in Corp.* quia, *cùm ex creaturis corporalibus, & spiritualibus universum hoc constituatur*, conveniens fuit, *quòd Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.* Nec curat S. Doctor, an dicatur illud corpus Cœlum Empyreum, sive qualitercunque nominetur, sed S. Isidorum sequitur dicentem, *quòd supremum Cœlum sit Cœlum Angelorum.* Si objiciatur S. Augustinus ex *lib. 3. supra Genes. ad Litt.* dicens, quòd Angeli fuerint creati in superiore parte aëris, respondendum est ex S. Thoma hìc *ad 2.* quòd S. Augustinus fortè per supremam partem aëris intelligat supremam partem Cœli, cum quo aër quandam convenientiam habet propter subtilitatem, & diaphaneitatem. Sic etiam, si diceretur ex *Isaiæ 14.* Angelum non esse in supremo Cœlo, aliàs ibi dicere non posset: *ascendam in Cœlum*, quomodò enim potest ascendere ad Cœlum altius, cùm jam sit in altissimo, expli-

candum est sic, quòd ibi Cœlum sumatur pro Deitate, ad quam Lucifer ascendere voluit. De quo plura infrà, de primo peccato Angelorum. Hîs suppositîs

55 Dico I. Angelus in primo suæ creationis instanti habuit gratiam sanctificantem.

Conclusio, çùm ex ratione satìs demonstrari non possit, ex Scriptura desumenda est. Præsertim *Ezechielis 28. v. 15.* ubi quidem, si litteram nudam aspexeris, de superbia, & ruina Regis Tyri agitur, quod tamen Sancti Patres, & Interpretes in sensu Metaphorico de Lucifero intelligunt. Ibi dicitur: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te,* & *v. 17.* confirmatur: *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Idem *Joan. 8. n. 44.* Christus dixit de diabolo, quòd in veritate non steterit. Et Judas in *Epist. v. 2.* dicit, Angelos non servâsse Principatum suum. Ex quibus satìs clarè erui potest veritas conclusionis. Si enim fuit perfectus ab initio, & posteà peccavit, & perdidit sapientiam: ergò anteà habuit; per *perfectionem* autem illam, *sapientiam*, & *Principatum* intelligit S. Augustinus *lib. 12. de Civit. DEI cap. 9.* apud S. Thomam in responsione *sed contra* gratiam sanctificantem -- *creavit simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Quamvìs altera sententia, quòd creati sint Angeli in naturalibus tantùm, sit etiam S. Thomæ probabilis, probabilior tamen est ista, quia dictis Sanctorum magìs est consentanea.

56 Congruentiam S. Doctor ex Augustino desumit super *Genes. ad Litt.* quæ in forma est hæc: Omnia in prima rerum conditione producta sunt secundùm quasdam seminales rationes in ordine ad proprios sibi effectus in linea naturali producendos, utì constat in plantis, & animalibus: ergò etiam creatura intellectualis fuit condita secundùm quandam seminalem rationem in ordine ad at-

tin-

tingendum finem, ad quem condita est, scilicet ad beatitudinem supernaturalem : sed ratio illa seminalis est gratia: ergò si cætera sunt ab initio ita producta, etiam creatura intellectualis fuit ita producta. Min. subs. colligitur ex *1. Joan. 3. v. 9.* ubi gratia *semen DEI* nominatur. Exinde ait S. Thomas *in Corp. Manifestum, quòd gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem.*

Dein certum est de fide, utì constat ex Trident. *Sess. 6. de justif. c. 1.* primum hominem fuisse productum in gratia, & justitia originali : ergò etiam probabiliùs Angelus fuit productus in gratia, quamvìs hoc ultimum adeò non constet, ùt prius, paritas tamen procedit ex paritate finis, & beatitudinis supernaturalis, ad quam utraque creatura intellectualis fuit ordinata, ùt docet expresè S. Thomas ex S. Augustino *1. part. quæst. 95. art. 1. in respons. Sed contra, & in Corp.*

Dico II. Angelus se ad primam gratiam per actum proprium disposuit, est S. Thomæ, & communis Thomist. contra paucos. 57

Ratio est: perfectius est gratiam accipere ex propria dispositione, quàm nudè sine motu proprio infusam: ergò Angeli se disposuerunt; quia perfectio homini concessa non potest denegari naturæ Angelicæ longè perfectiori : assumo : sed homo se in primo instanti ad gratiam disposuit, & defactò omnes adulti juxta Trident. *sess. 6. cap. 7.* gratiam consequuntur ex propria dispositione : ergò ita & Angeli consecuti sunt. Addunt alii communiter, quòd, cùm per gratiam assequamur amicitiam DEI, amicitia autem non obtrudatur, sed volenti offeratur, oporteat se ad illam disponere per actum liberi arbitrii.

Quæres, an gratia in Angelis quoad perfectionem proportionata fuerit perfectioni naturali ? hoc est, an 58

Angelus naturâ perfectior alterô, majorem gratiam acceperit?

Respondeo affirmativè cum communi Thomistarum omnium, & meliorum Recentiorum, ita quidem, ùt Vasquez hìc *disp. 228. cap. 1.* fateatur, se neminem legisse, qui contrarium teneret. Sed ibi nondum vixerat P. Arriaga, qui scripsit, se vix posse dubitare de falsitate communis sententiæ, sed attendendus non est hic arrogans, & impudens Auctor, qualem se etiam in Philosophicis non rarò prodit.

Prob. I. Auth. S. Dionysii *de cœlesti Hierarchia cap. 6. & 7.* ubi teste Suarezio, & Haunoldo tradit, Angelos perfectiores in natura, propinquiores esse DEO tum in officio, tum in splendoribus gratiæ, quod ait, se à S. Paulo Præceptore suo didicisse. Si Paulus hoc docuit Dionysium, non potuit ille ampliùs de veritate dubitare. Idem docuit S. Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 16. Neque Cœlorum*, ait, *virtutes suâpte naturâ sanctæ sunt, sed juxta portionem, quâ se invicem superant, à Spiritu Sancto habent sanctificationis mensuram.* Post Basilium S. Damascenus, & alii. S. Doctor id probat ex Magistro Sentent. in *2. sent. dist. 3.* qui ubique insistit quoad similia menti Sanctorum Patrum dicens, quòd Angeli, qui naturâ magìs subtiles, & sapientiâ ampliùs perspicaces creati sunt, hi etiam majoribûs gratiæ muneribûs prædìti sint.

59 Prob. II. ex congruentia, quam S. Thomas in *Corp.* allegat quoad substantiam, hac: DEUS per ordinem suæ sapientiæ diversos gradus in natura Angelica constituit, ut unus superet alterum in linea naturali, & sic habeatur subordinatio, seu Hierarchia unius respectu alterius in perfectione naturali: ergò etiam, cùm DEUS Angelos ordinaverit ad finem supernaturalem tanquam ultimum, varios gradus constituit in illa linea, ut unus superet alterum,

rum , & sic servetur subordinatio , seu Hierarchia unius respectu alterius in perfectione supernaturali. Anteced. negari non potest propter communem Theologorum, in Scriptura , & Sanctis Patribus fundatam, cui accecedit instantia in rebus istis inferioribus , tam naturalibus, quàm politicis. Consequentia autem, & paritas subsistit à fortiori; quia Sapientia Divina, & ejus ordinatio magìs elucet in supernaturalibus , quàm naturalibus, cùm hæc illis subordinentur. Instantiam dat S. Doctor claritatis tantùm causâ in artifice, volente ædificare domum, qui hoc ipso, quòd certos lapides magìs poliat , & pulchriùs , ac decentiùs aptet, censetur illos ordinare ad honoratiorem domûs partem. Habet S. Thomas adhuc aliam congruentiam , sed quia fermè incidit in priorem, brevitatis ergo omittitur. Hoc tamen est benè notandum , quòd perfectior gratia non possit exigi à natura perfectiori tanquam debita , sed tantùm quòd DEUS respiciat perfectiorem naturam quoad gratiam perfectiorem tribuendam , ùt rectè consideranti ex congruentia S. Doctoris patebit.

Insurgit I. Arriaga hìc : Lucifer fuit naturæ perfe-60 ctissimæ , & tamen infelicissimus in accipiendis auxiliis congruis pro secundo instanti, in quo lapsus est : ergò si DEUS tantam diversitatem induxit , prudenter suspicari licet, inductam etiam esse minorem inter cæteros Angelos. Et hoc est , ait Haunoldus hìc *controvers. 2. num. 949.* tandem argumentum illud , quo putat Arriaga , posse quemvis prudentem moveri ad recedendum à communi sententia , non obstante quacunque authoritate contraria. Verùm argumentum est acceptum ex Cardinale de Lugo , ex quo etiam responsio accipienda erat. Hæc Haunoldus contra suum aliàs socium. Ex quo patet impudentia hominis, ex Lugone , qui sibi hoc objicit , ar-

gumentum describentis, & responsionem ad illud, quàm dedit Lugo, subdolè dissimulantis; ita solet contingere in S. Thoma, ubi objectiones illius pro argumento assumunt, & responsionem dissimulant, ùt ostendi in *tract. de Incarnat.* Sed hoc utique non est Viri?

61 Respondent Haunoldus *cit. loc.* in objectione hac duo confundi, maximè distinguenda, scilicet efficaciam gratiæ, & ejusdem entitatem, & perfectionem intrinsecam; ait ergò, Luciferum habuisse gratiam entitativè perfectissimam respectu aliorum Angelorum, nec tamen eidem fuisse cooperatum, sicut alii, & hoc liberè; quia nulla gratia nec physicè, nec moraliter necessitat ad consensum, si autem fuisset cooperatus Lucifer, & hoc toto conatu feciſſet, perfectiorem actum elicuisset, quàm alii consentientes: idem respondet Cardinalis de Lugo, quæ responsio in via Recentiorum solvit argumentum. Sed tamen Thomisticè

62 Respondeo aliter, scilicet argumentum non attingere statum Quæstionis; S. Thomas cum suis loquitur de primo instanti creationis, in quo juxta dicta gratia fuit proportionata perfectioni naturali, hinc in forma concedo primum membrum antec. quoad instans primum, alterum membrum quoad instans secundum, non est ad rem, & sic propositio consequens; nam consequentia nulla est. Potuisset Lucifer in secundo instanti elicere perfectissimum actum, si voluisset; habuit enim gratiam majorem aliis, quòd verò non elicuerit, superbiæ ipsius imputandum est, nolentis se subjicere DEO.

63 Objicitur II. Hæc sententia sapit Pelagium, ejúsque sententiam docentis, DEUM moveri ad gratiam perfectiorem ex parte operum naturalium honestorum: hoc autem est damnatum ab Ecclesia: ergò sententia non subsistit.

Re-

Respondeo, negando Maj. absolutè; Pelagius enim docuit, opera naturalia honesta mereri gratiam, ita ut honestè vivens naturaliter, à DEO consequatur gratiam, quod negat Ecclesia: hinc illud principium, quo etiam usi sunt aliqui ex primis Recentioribus, homini facienti quod est in se ex viribus naturæ, DEUS non denegat gratiam, est reprobatum, quia opera præcisè naturalia non possunt mereri gratiam supernaturalem; cùm nulla sit proportio: aliud est in hac sententia; nec enim perfectior Angeli natura movit DEUM per modum meriti, ut majorem conferret gratiam, sed DEUS ipse pro sua sapientissima ordinatione perfectiorem naturam ad perfectiorem gratiam ordinavit, quod ex Sanctis Patribus colligimus. Cur ergò sententia S. Thomæ ad illa violenter trahitur, de quibus ille nec cogitavit?

ARTICULUS II.

Quódnam fuerit peccatum Angeli?

PEccatum primum Angeli fuisse aliquam superbiam, ex Scriptura videtur moraliter certum esse; dum enim voluit esse similis Altissimo, quodam superbiæ impetu ferebatur. Etiam S. Augustinus *lib. 11. de Civit. DEI cap. 15.* ait: *ab ipsius superbia cœpit peccatum.* Sed hæc superbia non est qualiscunque, & generica, qualem omne peccatum grave involvit, in quantum est saltem virtualis, & interpretativus contemptus DEI tanquam Legislatoris, atque aversio à fine ultimo, quem peccator, se convertendo ad creaturam, contemnit, & relinquit. Est ergò quædam specialis superbia, de qua variè Doctores, inter quos est etiam P. Arriaga hìc *sect. 9. in fine.* Postquàm plures sententias retulit, denique omnibus præfert (debebat, ni fallor, ait Haunoldus hìc *n. 961.* omnibus post-

ha-

habere) istam, peccatum scilicet Luciferi fuisse, quòd affectaverit æqualitatem cum DEO, id est, quòd voluerit esse DEUS, non quidem desideriô quôdam efficacî; hoc enim videbat esse impossibile, sed tantùm inefficacî, quatenùs desiderabat, esse possibile, ut ipse esset DEUS, & non esset alius DEUS, sed DEUS defactò existens esset sibi subjectus. Profectò rectè judicavit Haunoldus; est enim merum chaos in hac opinione. Quid enim hoc est in sapientissimo Angelo, optare, ut sit possibile, quod evidenter videt impossibile? Nunquid stultitiæ argueres hominem dicentem: ô utinam esset possibile, ut fierem Angelus!

Item velle DEUM esse, & non esse alium, vel DEUM modò existentem velle sibi subjicere? si DEUM esse manifestè cognoscit, quomodò potest velle, eum non esse, aut eum sibi, ùt DEUM subjicere? hæ sunt stultæ velleitates, ùt advertit Haunoldus ibi, & rectè ex S. Thoma *quæst. 16. de malo artic. 3.* quæ allicere non possunt intellectum perspicacissimum, ut amore imaginariæ voluptatis, quæ in ejusmodi velleitate reperiretur, DEUM desereret, quem anteà ferventissimè amavit. Dein contra est I. juxta Scripturam illa voluntas Angeli fuit absoluta, non hypothetica: *Exaltabo solium meum*, dicit *Isaiæ 14. vers. 13. Ascendam super altitudinem nubium. Similis ero Altissimo.* vers. 14. quæ, & alia significant voluntatem absolutam. Unde rectè vapulat ab Haunoldo præsumptuosus ille Author, qui vix ullum sine crisi, aut cavillatione dimittit, quid mirum si protervus in Thomistas, qui & in suos est arrogans? ipsemet tot nævis obnoxius?

Contra est II. Peccatum Luciferi traxit etiam alios Angelos in sequelam, & ruinam: ergò habuit tale objectum, quod suô modô erat cõmune aliis; sed esse DEUM, omnia sibi, etiam juxta Arriagam DEUM defactò existentem

tem

tem ſubjicere, non erat commune aliis Angelis, ſed potiùs ipſis graviſſimum; quia ſi DEUM ipſum voluit ſibi ſubjicere, à fortiori alios Angelos voluit imperando ſupprimere; an ergò alii Angeli potiùs voluêre ſubeſſe Lucifero, quàm DEO vero, quem talem agnoverant?

Contra eſt III. Illud, quod ſuperbiendo affectavit Lucifer, debuit ſuô modô afficere omnes Angelos, aliàs non fuiſſent ipſum ſecuti: ſed velle exaltari, & fieri DEUM, non potuit afficere omnes: ergò velle exaltari, & DEUM fieri non erat peccatum Luciferi. Min. eſt certa; quia cæteri cognoſcebant impoſſibilem eſſe pluralitatem Deorum.

Omiſsîs aliîs opinionibûs, æquè probabilibus, ùt 65 prior Arriagæ, nempe illâ, quòd Angelus peccaverit nimirum appetendo Beatitudinem, ſed aliò modô obtinendam, quàm ſciebat, homines illam adepturos eſſe; voluit ille, ùt homines per merita, ille verò gratìs acquirat: & alterâ, quam docuit P. F. Jacobus à S. Dominico, quòd diabolus ſuperbiêrit in eo, quòd voluerit operari independenter à præmotione Phyſica, & ſic eſſe independens à DEO, quod planè ridiculum eſt, & proveniens ex nimio erga ſuam Sententiam amore.

Celebriores ſunt illæ Scoti, & Multorum, quibus accedit Vasquez, quòd Lucifer ambiverit æqualitatem cum DEO ſecundùm eſſentiam, & naturam, non quidem appetitu abſoluto, ſed conditionato. Ita paſſim RR. Scotum citant, ſed non ſatìs rectè; nam Scotiſtæ ipſi aliter explicant Scotum, ùt paſſim videre eſt in eorum Authoribus. P. Anicetus Gillman in Theſibus de Angelorum eſſentia *diſp.3 quæſt.5.* ſic concludit: Primum Luciferi peccatum non fuit ſuperbia formaliter, vel propriè ſumpta, ſed luxuria ſpiritualis, ſeu Philautia, pro quo allegat Scotum in *2. Sent. diſt.6. quæſt.2. num.14.* Et rectè quidem;

sic enim reipsa censet Scotus *cit. loco*, dum ait: *Et ideo dico, quòd primum peccatum ejus non fuit superbia propriè dicta, sed propter delectationem, quam importabat, magis videtur reduci ad luxuriam*, scilicet spiritualem, non illam corporis. Hujus similitudinem, seu quasi paritatem assignat Scotus, *sicut*, ait, *peccatum, quo inordinatè delectatur quis in speculatione conclusionis geometricæ ad luxuriam reducitur.* Quidquid sit, ita tamen sentit Doctor Subtilis, qui fortè de alia luxuria pro Virginea sua Innocentia nihil scivit, vel scire voluit.

66 Altera est S. Thomæ volentis, peccatum Angeli fuisse formaliter superbiam, scilicet inordinatam propriæ excellentiæ naturalis æstimationem. Ex qua dein secutum est, quòd voluerit in ea quiescere, nec illam subordinare beatitudini supernaturali, juxta ordinationem DEI non acquirendæ, nisi per actus supernaturales intellectûs, & voluntatis, per quos debuisset se humiliare, DEOque subjicere, quod noluit cum suis, sed voluit sibi ipsi sufficere in naturalibus, sicut DEUS sibi sufficit in omnibus; & hoc est similem esse DEO, exaltare solium &c. ita re ipsa communis Thomistarum; sed hæc adeò clara non sunt in S. Thoma hìc *quæst. 63. art. 3.* Nam S. Thomas disjunctivè loquitur ad finem *Corp.* ab initio quidem clarè dicit: *quòd Angelus absque omni dubio peccavit, appetendo esse, ut DEUS.* Statim autem distinguit ly *ùt DEUS*, aitque hoc dupliciter sumi posse, vel per æquiparantiam, vel per similitudinem; per primum debuisset velle, exutâ naturâ Angelicâ transire in Divinam, quod Angelus non potuit appetere; quia sciebat esse impossibile, & quidem naturali cognitione. Dein addit S. Doctor, quòd cujusvis naturale desiderium sit conservandi suum esse: hinc ex principio Philosophico infert, quòd nulla res in inferiori gradu naturæ possit appetere superioris naturæ gradum, sicut, ait S. Doctor, Asinus non appetit *esse* equus; quia si

trans-

transferretur in ſuperioris naturæ gradum, id ipſum jam non eſſet, id eſt, perderet propriam naturam, cùm acciperet alteram, quod juxta ipſum contra naturalem, & congenitum appetitum pugnat, eſſet ſcilicet mera deordinatio, & confuſio Univerſi &c. Admittit ergò ſolum appetitum in ordine ad meliora accidentia. Velle autem eſſe, ùt DEUS eſt per ſimilitudinem etiam non admittit S. Thomas quoad illud, quòd diabolus appetierit, DEO non ſubeſſe: ratio eſt, quia ſic ſuum *non eſſe* apetiiſſet, quod iterum eſſet contra naturalem appetitum. Ultimò demum concludit S. Doctor: *in hoc appetiit eſſe ſimilis DEO*, quia appetiit ùt finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ poterat pervenire, avertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia DEI: vel ſi appetiit ùt ultimum finem illam DEI ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex Divino auxilio ſecundùm DEI diſpoſitionem. Hæc S. Thomas. Sed profectò nihil exinde certi deduci poſſe videtur, cùm ipſe S. Thomas hæſerit.

Dico I. Primum peccatum Angeli ſaltem radicaliter 67
ſpectatum fuit ſuperbia. Eſt contra Scotum.

Probatur I. ex ſacra Scriptura *Eccleſiaſt. 10. v. 15. Initium omnis peccati eſt ſuperbia*: ergò primum Angeli peccatum fuit ſuperbia, & quidem formalis; quia ſic petit accipi Scriptura, cùm non ſequatur abſurdum.

II. Conformiter S. Thomæ hìc *art. 3. in Corp. unde peccatum primum Angeli non poteſt eſſe aliud, quàm ſuperbia*, ex qua dein alia peccata deducit, ſcilicet contemptum DEI, invidiam, dicens paulò inferiùs: *& ideò poſt peccatum ſuperbiæ conſecutum eſt in Angelo peccante malum invidiæ, ſecundum quod de bono hominis doluit, & etiam de excellentia Divina.*

Confirmatur ex *1. 2. quæst. 77. art. 5. in Corp.* ubi superbiam describit sic : *Superbia est inordinatus appetitus excellentiæ.* Idem docet infrà *quæst. 84. art. 3.* Sed Angelus inordinatè excellentiam appetiit : ergò ipsius primum peccatum fuit superbia. Quò etiam facit textus S. Augustini statim ab initio hujus articuli adducti. Hæc potiùs in veneration em S. Thomæ.

68 Dices cum Scotista cit. quoad substantiam : primum peccatum Angeli non potuit esse, nisi inordinatus amor amicitiæ erga se ipsum, quo plus æquô se amavit irreferibiliter in DEUM : sed talis amor non est superbia formaliter talis : ergò primum peccatum Angeli non consistit in superbia formaliter tali. Maj. prob. primus actus inordinatus est velle aliquod, non concupiscentiæ, hoc enim semper supponit velle alicujus, cui concupisco : ergò fuit *velle aliquod inordinatum* amicitiæ : sed non cum DEO, aut alio creato ; ergò fuit *velle inordinatum* amicitiæ sui ipsius, vel potiùs cum se ipso.

Confirmat ex Scriptura *Ezechielis 18.* ubi de Lucifero dicitur : *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Item : *Perdidisti sapientiam in decore tuo.* Adducit etiam S. Augustinum *lib. 14. de Civit. DEI cap. ult.* dicentem : *Duo amores fecerunt duas civitates, unam DEI, alteram diaboli : Civitatem DEI amor DEI ; civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum DEI.*

69 Responderi potest Thomisticè ad argumentum negando Maj. quia ille amor necessariò præsupponit aliud peccatum, scilicet nimiam suæ excellentiæ æstimationem ; nisi enim priùs inordinatè se ipsum appretiâsset, non tanto erga se ipsum arsisset amore. Dein non video, cur ille amor dici possit amicitiæ, quæ necessariò est ad alterum, ùt advertit S. Gregorius Magnus *Homil. 17. in Evang. Minùs*, ait, *quàm inter duos charitas haberi non potest ;*

teſt; nemo enim propriè ad ſe ipſum habere charitatem dicitur, ſed dilectio in alterum tendit, ut charitas eſſe poſſit &c. Si charitas haberi propriè non poteſt ad ſe ipſum, multò minùs amicitia, quæ ex ipſo nomine terminum à ſe diſtinctum requirit. Ad prob. poteſt negari antec. de velle formali; nam ille amor ſui eſt tantùm *velle materiale*, quia eſt complacentia ſui in ſe ipſo, quod jam aliud peccatum ſupponit, ùt dixi. Inſuper hæc opinio non exprimit ſcandalum reſpectu Angelorum adhærentium; nec enim omnes tanti decoris fuerunt, ut ſibi ita complacere potuerint, præſertim ſi perfectionem Luciferi conſiderârunt, qui vel primus inter Angelos, aut inter primos fuit. Meliùs omnia ſalvat S. Thomas docendo, quod peccaverint volendo permanere in naturalibus, nec per actus ſubmiſſos, & arduos quærere ſupernaturalia, quod potuit eſſe motivum etiam aliorum.

Textus in Scriptura potiùs ſignificant inordinatam ſui æſtimationem, quæ præcedit amorem. Textum S. Auguſtini etiam S. Thomas adducit, ſed tantùm explicat in eo, quòd velle ſuam excellentiam ſit reipſa ſe amare; eſt enim ſibi bonum velle, ſed hoc velle ſupponit actum ſuperbiæ. Dein hæc opinio non ſalvat textus Scripturæ: *Aſcendam, exaltabo ſolium &c.* amare enim ſe ipſum non eſt velle aſcendere, ſed in ſeipſo permanere: aut *ſolium exaltare*, in quo etiam videtur ſuô modô deficere opinio Thomiſtarum juxta dicta.

Dico II. Probabiliter primum Angeli peccatum fuit appetitus Unionis Hypoſtaticæ. Ita Suarez cum nonnullis aliis. Pro quo ſuppono, Angelis fuiſſe revelatum Myſterium Incarnationis aliquando futurum, ſaltem confuſè, & ſuô modô, ùt docet S. Thomas *1. part. quæſt. 64. art. 1. ad 4.* ubi ſic loquitur: *Dicendum, quòd Myſterium regni DEI, quod eſt impletum per Chriſtum, omnes quidem Angeli*

à principio aliquo modo agnoverunt. Scilicet agnoverunt quoad ſubſtantiam, Verbum aſſumpturum naturam humanam, quamvìs non clarè quoad circumſtantias; hinc mali Angeli juxta multos poſt peccatum amiſerunt illam cognitionem, ſaltem juxta me tantùm retinuerunt confuſè; hinc illæ tentationes in Chriſto, ut eliicerent, an aſſumpta jam ſit humana natura, & homo ille ſit Chriſtus. Quibûs ſuppoſitîs

Prob. I. Non obſcurè ex S. Scriptura *Joan. 8. v. 44.* ubi Chriſtus inſidiantibus vitæ ſuæ exprobravit: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Ubi Chriſtus loquitur de primo illo peccato, *non ſtetit.* Dicitur autem *ab initio* id eſt, ùt S. Thomas hìc *quæſt. 63. ad 1.* ex S. Auguſtino explicat: *Non ab initio, ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt, ſed ab initio peccati, ſcilicet quia nunquam à peccato ſuo receſſit.* Vel quia primum peccatum fuit illud *homicidium*, de quo Chriſtus dixit; aut etiam quia ſtatim poſt primum creationis inſtans peccavit, dum erat in via.

Ex quo textu eſt argumentum: vos vultis implere deſiderium patris veſtri, dum quæritis me occidere: ergò antecedenter voluit diabolus ab initio occidere Chriſtum, id eſt, voluit, ut Chriſtus non eſſet futurus.

71 Confirmatur I. Illud peccatum ſtatuendum eſt, per quod textus Scripturæ ſalvantur: hoc autem fit per inordinatum appetitum unionis hypoſtaticæ: ergò ille appetitus ſtatuendus eſt. Maj. ſuppono, niſi enim verificentur textus, gratîs aliquid aſſumitur. Min. prob. appetendo unionem hypoſtaticam verum, eſt illud Iſaiæ 14. *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti: ſimilis ero Altiſſimo &c.* Hæc omnia obtinuiſſet, ſi Verbum Divinum naturam Angelicam aſſumpſiſſet, ſicut modò natura humana in Chriſto obtinuit om-

omnia; verum eſt enim, *DEUS eſt homo, homo eſt DEUS: Conſcendit homo in Cœlum, exaltavit ſolium ſuum: ſedet in monte teſtamenti novi: ſimilis eſt Altiſſimo*, dum per unionem cum Verbo ſedet ad dextram Patris &c.

Confirmatur II. Appetitus ille potuit eſſe, & fuit oc- 72
caſio ruinæ aliorum; nam omnes propter excellentiam naturæ Angelicæ ſupra humanam voluerunt potiùs ſuam exaltari, & DEIficari, quàm humanam, & quamvìs tantùm Lucifer fuiſſet aſſecutus, tamen illa exaltatio in totam naturam Angelicam redundâſſet, eámque glorificâſſet. Cujus exemplum ſaltem claritatis, ſi non probationis ergo habemus in Politicis, ubi tota aliqua natio potiùs vult aliquem ex ſuis exaltari, quàm extraneum, e.g. Itali optant Papam Italicum, Germani Germanum. Quamvìs tantùm uni illa exaltatio, & ſuprema in terris Majeſtas poſſit obtingere, redundat tamen in totam nationem. Et hic appetitus in Angelis originem habuit ex ſuperbia, & inordinata naturæ Angelicæ æſtimatione, & ſimiliter in nationibus, quamvìs dein etiam invidia ſubſequatur unius reſpectu alterius.

Confirmatur III. Prævidebat Angelus, quòd ſup- 73
poſita elevatione naturæ humanæ ad ſuppoſitum Divinum, debeat neceſſariò ſubjici huic ſuppoſito, illúdque adorare: hoc noluit pati diabolus, nec cæteri, ut natura tam excellens ſubſit naturæ tam imperfectæ, & reſpectivè tam vili, ideóque appetierunt omnes ipſi, ut potiùs ad illam celſitudinem evehatur natura Angelica. Ex quibus objectionibus poteſt occurri, quare Angeli voluerint potiùs ſubeſſe Lucifero ſuppoſita aſſumptione, quàm Chriſto.

Si dicatur, Luciferum evidenter cognoviſſe voluntatem DEI, ſemel determinantis aſſumptionem naturæ humanæ, eſſe immutabilem, conſequenter non potuiſſe effi-

efficaciter appetere assumptionem naturæ Angelicæ, tanquam supposita revelatione, impossibilem.

Respondeo I. Hoc argumentum solvendum esse omnibus, in quocunque demum statuatur illud peccatum primum, ùt consideranti patet; semper enim evincitur ultimò, quòd Lucifer appetierit aliquid impossibile.

Respondeo II. Ab inordinata suæ excellentiæ æstimatione excœcatos fuisse, & sic in ultimo dictamine practico errâsse, ideóque elatos peccâsse: præcedit nempe omne peccatum, error in intellectu. Quin imò omnis peccans mortaliter interpretativè vult aliquid impossibile, scilicet DEUM non esse ultimum finem, hoc ipso, quòd illum quærat in bono creato, ad quod relictô DEO convertitur, provenit autem hoc ex errore intellectûs, peccatum antecedente. Itaque hæc probàbiliter sine offensione S. Thomæ, quem quoad substantiam de superbia sequimur, discrepantes solùm quoad subjectum superbiæ completivum.

74 Dices adhuc cum P. Haunoldo *lib. 1. Tractatu 3. cap. 5. Controvers. 4.* Angelos peccâsse in eo, quòd noluerint subjici Christo: ergò non peccârunt absolutè appetendo unionem Hypostaticam. Ant. sic explicat, DEUM scilicet revelâsse Angelis, se velle etiam creare homines, & eos elevare ad eandem beatitudinem, quam ipsis præparâsset, fieríque posse, ut inter illos unus esset futurus, qui simul DEUS esset, & homo, caput Angelorum, & hominum, cui deberent obedire, & subjici, quando existeret, eíque Summam Reverentiam exhibere, ut proin paratos se ostenderent ad eam Reverentiam suo tempore præstandam. Hanc reverentiam Lucifer recusavit, indignum ducens, supremum Angelum subjici naturæ, toto gradu inferiori. Ad hoc non erat necesse, ut Angelis revela-

velaretur certè futura Incarnatio. Hæc in terminis Haunoldus, valde ſimpliciter pro tanto aliàs viro.

Addit ſubinde, hanc ſuam reſponſionem diſplicere P. Eſparzæ, tum quòd ſit ſubtilitas purè voluntaria, cùm etiam neceſſaria non ſit, utpote Chriſtô venturô, etiamſi Adam, vel Angeli non peccâſſent.

Reſpondeo I. Haunoldi reſponſionem meritô diſplicere P. Eſparzæ, ſed malè propter ſubtilitatem, ubi nulla eſt, plurimum autem ſimplicitatis. Nec altera ratio P. Eſparzæ quidquam evincit; cùm vel maximè inter Authores, etiam Societatis, controverſum ſit, an Chriſtus veniſſet, ſi Adam non peccâſſet? quomodò ergò tam præfidenter ſupponitur? de Angelis non eſt quæſtio, quia nullum ex Scriptura fundamentum eſt, Chriſtum venturum in remedium peccati Angelorum.

Reſpondeo igitur II. Diſcurſum P. Haunoldi vaniſſimum eſſe non uno ex capite, quæ referre non vacat. Sufficiat, quod juxta illum Lucifer tantùm non voluerit obedire, nec altiora ſpirâſſe, quod tamen ex S. Scriptura in textibus à nobis ſuprà allegatis, manifeſtè evincitur.

Nec juvat Haunoldum revelatio, quæ, ùt ipſe ait *cit. loc. num. 987.* refertur in vita approbata B. Joannæ de Cruce *lib. 2. cap. 16.* ubi narratur, illam Sanctam Virginem à ſuo Angelo Cuſtode accepiſſe pro certo, peccatum Luciferi, & aliorum fuiſſe, quòd non acceptaverint præceptum DEI, illis intimatum, adorandi Chriſtum, & obſequium ei exhibendi: Nam 75

Reſpondeo ùt priùs, ex his non probari, quod Angelus appetiêrit aliquid poſitivum, ſed merè negativum: non obedire, non adorare Chriſtum, non ei exhibere obſequium, cùm tamen Scriptura aliquid poſitivum inſinuet, quod affectaverit, ùt ex textibus patet. Revelationem illam, privatam, nec ſatìs certam, relinquo in-

ſuo valore; dico tamen, ex illa fieri non poſſe argumentum Theologicum, quod Haunoldus ipſe agnoſcere potuit, vel ſaltem debuit.

ARTICULUS III.

De Pœna mali Angeli.

76 CUm anteà de Peccato Angeli dixerimus, conſequens eſt, ut de pœna dicamus.

Peccatum non retractatum excipit pœna, & quidem æterna, Angelus autem peccatum ſuum non retractavit; quia juxta S. Thom. hìc *quæſt. 64. art. 2.* per totum, voluntas dæmonis fuit obſtinata in malo, ídque probat S. Doct. *in Corp.* reprobando opinionem Origenis, docentis, quòd omnis voluntas creata propter libertatem arbitrii flecti poſſit, & in bonum, & in malum, excepta anima Chriſti propter Unionem Verbi: hanc poſitionem S. Thomas ait, reputandam eſſe tanquam erroneam. I. Quia tollit veritatem beatitudinis à Sanctis Angelis, & hominibus, cùm ſtabilitas ſempiterna ſit de ratione beatitudinis. II. Quia repugnat Scripturæ, quæ dæmones, & homines malos in ſupplicium æternum mittendos, bonos autem in vitam æternam transferendos pronuntiat: & poſteà infert: *Firmiter ſecundùm fidem Catholicam tenendum eſt, quòd, ſicut voluntas bonorum Angelorum confirmata fuit in bono, ita & voluntas dæmonum obſtinata fuerit in malo.* Intelligendus eſt ergò S. Thomas ſic, quòd caſus, ſeu peccatum Angeli ſtatim exceperit terminus, id eſt, damnatio, & ideò ſtatim fuerit obſtinatus in malo, quia in termino non datur locus retractationi ampliùs proficuæ, hinc monet S. Doct. cauſam autem hujus obſtinationis debes accipere non ex gravitate culpæ, ſed ex conditione naturæ ſtatûs, id eſt, ex natura ſtatûs ſcilicet termini;

quem

quem poſt peccatum mox adepti ſunt, boni ſcilicet inamiſſibiliter terminum beatitudinis, mali perpetuam damnationem, ex qua non datur redemptio per pœnitentiam. Ratio hujus apud S. Thomam ex S. Damaſceno *lib. 3. de Orthod. fide cap. 4. ad finem*, eſt hæc: *hoc enim eſt hominibus mors, quod Angelis caſus.* Ex quo à pari infert: *Manifeſtum eſt autem, quòd omnia mortalia peccata hominum, ſive ſunt magna, ſive ſunt parva, ante mortem ſunt remiſſibilia, poſt mortem autem irremiſſibilia, & perpetuò manentia.* Et hæc eſt Catholica doctrina; dicit enim Eccleſia ex Pſalm. 6. v. 5. *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* tota ergò diſputatio de obſtinatione Angeli, quam tam operoſè defendunt Thomiſtæ, & impugnant Adverſarii, hoc uno Articulo S. Thomæ abſolvitur, dum S. Thomas loquitur de termino tam in Angelis, quam hominibus, quem ſequitur obſtinatio.

Dices: Quamvìs Sanctus Thomas, qui ad primam *in Corp.* partem loquitur de obſtinatione in termino, in ſecunda tamen cauſam illius obſtinationis adducet, ſcilicet quòd ideò obſtinatus ſit Angelus, quia fixè, & immobiliter adhæret objecto ſemel deliberatè electo; quamvis enim antecedenter Angelus poſſit objecto adhærere, vel non, quia liberè eligit, *ſed poſtquàm ſemel adhæſit, immobiliter adhæret.* Ideóque inter Angelum, & hominem hanc differentiam ponit S. Thomas, quòd homo ante, & poſt electionem ſit adhuc flexibilis ad utrumque oppoſitum, Angelus autem ſit flexibilis ad utrumque ante, ſed non poſt electionem; dein concludit: *Sic igitur & boni Angeli ſemper adhærentes juſtitiæ ſunt in illa confirmati, mali verò peccantes ſunt in peccato obſtinati:* ergò non rectè fuit dictum, quòd tota diſputatio hoc uno articulo quoad primam *Corp.* partem abſoluta ſit. 77

Resp. I. negando illationem ; nam reverà S. Thomas in prima parte *Corporis* loquitur de termino beatitudinis in bonis, & damnationis in malis, in eáque peccata hominum dicit irremissibilia, sicut malorum Angelorum; nec paritas subsisteret, nisi loqueretur de termino : dein S. Thomas illam obstinationem non rejicit in gravitatem peccati, aut in naturam Angelicam, sed in statum naturæ, jam consistentis in termino; infero ergò, quoad primam partem *Corporis* tota disputatio absolvitur ; quia S. Thomas suprà relatus ex *quæst. 63. art. 6.* tantùm duo instantia admittit, in quibus operatus ex Angelus, in tertio bonum excepit beatitudo, & malum damnatio : sed hoc tertium est respectu viæ Angelicæ extrinsecum : quomodò ergò his stantibus potest obstinatio in naturam potiùs, quàm statum naturæ referri.

78 Respondeo II. quòd, si dicas S. Doct. totum refundere in naturam Angeli immobiliter adhærentis objecto, ita ut post peccatum semel admissum propter inflexibilitatem arbitrii converti non possit, necessariò debes admittere aliquam contradictionem in eodem *Corp.* quia S. Thomas in I. *Corp.* parte causam refundit in *conditionem naturæ* & *statûs* propter rationem adjectam scilicet : *hoc enim est &c.* in altera verò parte juxta te refundit obstinationem simpliciter in naturam Angeli præscindendo à statu: hæc autem saltem virtualiter sunt contradictoria, quæ ut salventur,

Respondeo III. & dico, S. Thomam in altera parte intelligendum esse ex suppositione, quòd si durâsset via Angeli adhuc post peccatum, & pro illa providentia non statim fuisset damnatus, quòd Angelus tamen non retractâsset peccatum, sed ei adhæsisset propter rationes adjectas; hanc autem inflexibilitatem neutiquam *Metaphysicè*, aut *physicè* talem admitto, utì alii Thomistæ, sed tantùm

mo-

moralem, id eſt, Angelus difficillimè mutâſſet judicium intellectûs, & voluntatis propter nimiam adhæſionem, ſi tamen accepiſſet auxilium, potuiſſet ſe abſolutè convertere; quod ſi negas,

Prob. I. non minùs Angelus bonus in illa ſuppoſi-79 tione adhæſiſſet objecto ſuo ſupernaturali ſemel cum plena libertate electo, quàm malus Angelus adhæſiſſet peccato: ſed in illo non fuiſſet inflexibilitas abſoluta: ergò nec in iſto. Maj. eſt certa à fortiori, min. prob. ab abſurdo: ſi fuiſſet inflexibilitas abſoluta, tunc Angelus ſe feciſſet per illam adhæſionem intrinſecè, & ex ſua natura impeccabilem: hoc autem eſt contra doctrinam S. Thomæ, qui nunquam admittit in hac via creaturam ex ſua natura impeccabilem: ergò inflexibilitas non fuiſſet abſoluta.

II. Illa voluntatis obſtinatio proveniſſet ex apprehenſione per intellectum immobiliter tali, ùt loquitur S. Thomas in *2. part. Corp.* Sed exinde non potuiſſet eſſe *phyſicè* & *abſolutè* talis: ergò ad ſummum moralis. Min. prob. nulla apprehenſio ſeu cognitio præter beatificam neceſſitat ad actum voluntatis, utì ſuppono ex communi doctrina: ſed in illa ſuppoſitione non fuiſſet cognitio beatifica: ergò non neceſſitâſſet ad amorem objecti. Fortè etiam inferri poſſet in Angelo peccante peccatum ab intrinſeco irremiſſibile, cùm aliter non potuiſſet remitti à DEO, niſi per violentiam, naturæ Angelicæ illatam.

Quoad pœnam Angeli diverſæ ſunt Sententiæ, hoc80 tamen omnibus certum eſt, quòd dæmones juxta illud Math. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus* (idem eſt quòd de animabus ſeparatis) ab igne infernali torqueantur, quomodò autem id fiat, nec ex Scriptura, nec SS. PP. ſatìs colligi-

tur. S. Thomas *cit. quæst. 64. art. 4. ad 3.* refert aliquorum opinionem, existimantium, pœnam sensibilem tam dæmonum, quàm animarum, & similiter beatitudinem Sanctorũ differri usque ad diem judicii, & dicit hoc esse erroneum, & contra Apostolum *2. Corinth. cap. 5. v. 1.* dicentem: *Scimus, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis.* Falsum est ergò beatitudinem Sanctorum, & pœnam peccatorum tamdiu differri, potéstque ex pluribus textibus probari actualis Sanctorum felicitas, & damnatorum miseria.

81 Sententia S. Thomæ quoad pœnam dæmonum consistit in alligatione ad ignem, & certum locum, pro quo notandum est, quòd Angelis tam bonis quàm malis, qui mittuntur, duplex in termino locus, unus ratione beatitudinis, & in malis ratione damnationis, alter ratione ministerii circa homines in bonis, in malis propter tentationes, & exercitationem hominum; nam sicut boni Angeli, & Custodes hominem inducunt ad bonum, & à vitiis avertunt, usque ad diem judicii, ita mali hominem tentant, & ad malum inducunt: sicut ergò bonorum Angelorum locus est Cœlum, alter mundus, dum ad nos mittuntur, ita primus dæmonum locus est infernus, & alter caliginosus aër est ad nos perdendos. Sunt etiam juxta S. Thomam dæmones nunc in inferno ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni sunt cum animabus Sanctis in Cœlo. Quo supposito est ratio: ignis ille infernalis est materialis, & sensibilis: ergò non potest urendo physicè, & sensibiliter torquere Angelos, tanquam puros Spiritus: ergò alio modo torquet; sed modus alius non est, nisi alligatio ad ignem, tanquam contraria voluntati, & libertati dæmonis, consequenter alligatio rectè statuitur pro pœna Angeli.

Con-

Confirmatur discursus ex S. Thoma *cit. loc. ad 1.* dicente: *Quòd locus non est pœnalis Angelo, aut animæ quasi afficiens alterando naturam, sed* NB. *quasi afficiens intellectum & voluntatem contristando, dum Angelus, vel natura apprehendit se esse in loco non convenienti suæ voluntati.* Quod ergò ignis ille sensibiliter, & alterativè præstat in corpore sensibili, hoc in spiritu præstat turbando intellectum & alligando, ut cogitet semper de objecto sibi tam contrario, & molesto.

Nec obest, quòd multi dæmones non alligentur ge- 82
henali igni, dum sunt in aëre isto caliginoso, tamen ex hoc ipso, quòd sciant illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur; unde infert hìc *ad 3.* S. Thomas: dicitur in Glossa Jacobi 3. *quòd portant secum ignem, quocunque vadant.*

Nec dicas, si infernum ubique secum portant, quarè *Lucæ 8. v. 31.* rogaverunt Christum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent, sed *v. 32.* rogabant eum, ut permitteret eis in porcos ingredi? Respondeo cum S. Thoma ideò rogâsse, ne deberent discedere ex loco, in quo hominibus nocere possunt; nam si in abyssum fuissent missi, ampliùs nocere non potuissent.

Magister Gonet in Manuali *tract. 7. cap. 15.* de pœna dæmonum alligationis ad ignem superaddit aliquam qualitatem intrinsecam, quam juxta ipsum ignis inferni causat in dæmonibus, eos per illam physicè alligando; Ratio hujus est, quòd per solam formam extrinsecam nequeant potentiæ dæmonis alligari, seu impediri ab exercitio suarum operationum; sed quia hoc videtur expressè contra S. Thomam statim allegatum, gratìs dicitur; nam si qualitas illa, qualiscunque sit, reciperetur in dæmonibus, naturam illorum alteraret, quia aliquid intrinsecè superveniret: sed dicere, naturam dæmonum alterari est

ex-

expresse contra S. Thomam: ergò stante Authoritate S. Thomæ non potest consequenter admitti talis qualitas. Eadem fermè opinio est Suarezii, quòd scilicet ignis infernalis elevetur à DEO per qualitatem aliquam spiritualem, ut possit agere in dæmones, & non minùs affligere, ac spiritualiter urere, quàm affligat, & urat materialis corpora sensibilia. Id verò Socii subsequentes ad hominem contra Thomistas probant, hoc neutiquam esse impossibile, & defactò contingere ex argumento: defactò juxta Thomistas Sacramenta novæ legis elevantur per virtutem spiritualem, & supernaturalem ad producendam physicè gratiam: ergò etiam elevari potest ignis, & defactò elevatur ad cruciandos dæmones.

Respondeo I. impossibilem non esse illam elevationem; quia autem S. Thomas, & alii SS. PP. nihil simile dicunt, relinquenda est probabilitas Sententiæ Viri tam Eximii. Hoc tamen ego non capio, quarè iste Author hìc admittat qualitatem intrinsecam elevantem, cùm aliàs defendat, per solam DEI assistentiam extrinsecam effectus similes posse produci, utì de visione ait, intellectum creatum posse elevari ad videndum DEUM sine lumine gloriæ per solam assistentiam extrinsecam DEI. Iterum potest elici actus amoris supernaturalis per solam assistentiam talem &c. quarè non posset ignis activè urere dæmones, si DEUS extrinsecè assisteret? ubique est impotentia intrinseca, & semel tollitur extrinsecè, semel intrinsecè, quarè unum, & non alterum? Thomistæ consequenter docent, nullam impotentiam intrinsecam tolli posse per aliquid extrinsecum; in hac autem Quæstione cùm S. Thomas nullam alterationem talem admittat, nec illi admittunt, sed pœnam salvant in conturbatione intellectûs & contristatione voluntatis, quæ fieri potest, vel excitari in Angelo, & anima.

Di-

Dices: Illa alligatio ad ignem, facta per intellectum, & voluntatem, non satis explicat pœnam ignis, & S. Scripturam sæpè repetentem, spiritus damnatos *ab igne uri, cremari, ardere &c.* pro quo adducis parabolam de divite Epulone tam ardenter in inferno rogante, ut Lazarus tantùm refrigeret unicâ guttâ aquæ linguam, & dicente: *Quia crucior in hac flamma:* hæc pœna non est pura alligatio ad ignem, sed ustio, crematio, nec est pura conturbatio intellectûs, & contristatio voluntatis &c.

Respondeo, explicationem illam S. Thomæ quoad spiritus puros sufficere; an verò textus Scripturæ debeant accipi in hoc passu *physicè* & *sensibiliter*, aut *metaphoricè*, non satis constat, teste ipso S. August. *lib. 20. de Civitat. DEI cap. 16. Cujusmodi ille ignis sit, scire arbitror neminem, nisi cui DEUS revelaverit.* Et *lib. 22. cap. 10.* adducens pro veritate veri ignis illa verba: *Quia crucior in hac flamma,* subdit: *dicerem utique flammam illam esse corpoream, nisi convenienter responderi posset, talem esse flammam, quales oculi, qualis lingua, qualis digitus. Ubi erant sine corporibus animæ?* denique concludit: *Sic ergò incorporalis illa flamma, & illa guttula, qualia sunt somnia dormientis.*

ARTICULUS IV.

Quomodò Angeli tam boni, quàm mali se habeant ad locum?

CUm quæstio *an est?* præcedat aliàs, priùs inquiren- 83
dum esset, an Angelus sit in loco, dein primùm quomodò? sed cùm primum illud sit communiter receptum à SS. PP. & post illos à Theologis, superflua esset longior disputatio. Colligitur etiam ex S. Scriptura *Apocalypsi 20. v. 2.* ubi dicitur: *Apprehendit,* scilicet Ange-

lus, *draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligavit per annos mille.* Et Tobiæ 8. v. 3. *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Si dæmonium fuit ligatum, & alligatum certo loco, utique fuit in loco. Accedit ratio, quod non est ubique, est alicubi: sed Angeli non sunt ubique: ergò debent esse alicubi. Maj. est clara; quia non immensi, consequenter constricti ad locum aliquem determinatum, & limitantem. Videtur etiam impossibile, ut aliquid reverà existens in rerum natura non coëxistat immensitati Divinæ, cúmque creatura sit, modô limitatô coëxistat necessum est.

Claritatis causâ notandum est, aliquid posse dupliciter esse in loco *physicè*, & *metaphysicè*: *physicè* esse in loco, est circumscribi, & contineri à loco; est enim juxta Philosophum locus: *Superficies corporis ambientis prima, & immobilis.* Taliter utique Angelus non est in loco, quia non applicari potest loco secundùm contactum quantitatis dimensivæ, quæ in Angelis non est, ùt loquitur hìc *art. 1.* S. Thomas in *Corp.* physicè minùs strictè est aliquid in loco secundùm contactum virtutis, seu ùt S. Thomas statim ibi subjungit, per applicationem virtutis ad aliquem locum, seu per operationem in loco.

Metaphysicè aliquid est in loco per nudam exhibitionem suæ præsentiæ, vi cujus dicitur esse hìc, & non alibi. Sic si DEUS à corpore aliquo aufferret quantitatem dimensivam, adesset nuda substantia, & tamen esset metaphysicè in loco, id est, præsens alteri: ita cùm Angelus non habeat quantitatem, neç operetur ibi, ubi est per suam præsentiam, esset solùm in loco *metaphysicè*, quatenùs ab altero non distaret; unde facilè intelligitur Boëthius apud S. Thomam hìc *art. 1. in objectione 1.* quomodò incorporalia in loco non sint, & quomodò possit aliquid

esse

esse alicubi, & tamen in nullo loco. Nam quoad primum verum est de loco stricto physico per dimensionem quantitativam: & alterum de loco metaphysico respectu physici, ùt contingit in Angelo nihil operante. Si verò operetur, erit solùm physicè in loco per contactum virtutis, quæ non est propriè locatio, & hoc ipse S. Thomas insinuat *cit. loc. in Corp.* ab initio, ubi concludit: *Dicendum, quòd Angelo convenit esse in loco: æquivocè tamen dicitur Angelus esse in loco, & Corpus.* Ratio hujus patet ex dictis de contactu in corpore, & de contactu solùm virtutis in Angelo. Ex quibus

Dico I. Angelus est in loco per contactum suæ vir- 84
tutis, sed tamen impropriè. Est S. Thomæ, & Thomist. communis. Ratio desumitur ex S. Thoma, quæ in forma proponitur: Corpus est physicè in loco per contactum quantitatis dimensivæ, & ideò propriè: ergò Angelus est in loco per contactum virtutis ad alterum locum saltem impropriè. Consequentia probatur: priùs ex eo est, quòd corpus locatum conjungatur cum locante per contactum physicum: ergò quia Angelus conjungitur cum altero per contactum virtutis, quatenùs in loco operatur sensibiliter, ponendo talem effectum, erit in loco saltem impropriè.

Potest autem Angelus operari vel immediatione suppositi, vel tantùm imediatione virtutis: primô modô operatur, quando non distat per suam substantiam, dum producit effectum, ita ut simul sit indistantia quoad substantiam, & virtutem, sic Angelus, qui Prophetam Habacuc pilîs capitis apprehensum in locum alium transtulit, erat præsens tam immediatione substantiæ suæ, quàm virtutis. Immediatione virtutis adest, quando Angelus e.g. existens quoad substantiam in uno angulo hujus Scholæ, & in altero producit effectum aliquem e.g.

concussionem fenestræ, tunc ibi solùm esset immediatione virtutis, ita ut ex effectu colligi possit præsentia ejus quoad contactum virtutis. Ratio hujus est, quòd Angelus non per diffusionem virtutis operetur, sed per imperium tanquam actionem formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, quæ virtus est aliqua participatio illius virtutis Divinæ ubique, & illimitatè operantis; Angelus autem habet certam sphæram, intra quam operari potest, & non ultrà, saltem ordinariè, quid quid sit de extraordinariis, ad quæ forsan à DEO assumi potest. Ex his

85 Dico II. Angelus physicè, impropriè loquendo, potest in pluribus locis simul esse.

Ratio consequitur ex dictis: Angelus est in loco, quatenùs operatur: potest autem in pluribus partibus operari: ergò potest esse in pluribus locis. Quoad præsentiam Metaphysicam certum est, non posse Angelum esse in pluribus locis extra suam sphæram, & spatium sibi conveniens, posse tamen in pluribus locis continuis, & inadæquatis esse, e.g. si spatium esset hæc Schola, cui probabiliter destinatus est aliquis Angelus Custos: posset ille esse vel in tota Schola illam occupando, & sua præsentialitate continendo, vel in parte Scholæ tantùm, quia non tenetur semper occupare totum spatium: si verò occupet, est in pluribus locis inadæquatis, quatenùs locus adæquatus ex partialibus locis constituitur: loca autem inadæquata debent esse continua; si enim essent discreta, non posset in illis esse, nisi simul esset in medio, aliàs substantia Angeli esset quasi à se divisa, quod, quia repugnat naturæ rationali, à fortiori repugnat Angelo.

86 Dices I. Cum Recentiorib. præsertim cum P. Esparza *lib. 2. quæst. 9. hìc art. 6.* amplitudo spatii major, vel minor obtigit Angelis secundùm magnitudinem perfectionis

nis ſubſtantialis; eſt enim proprietas conſequens naturam, ut uni majus, alteri minus ſpatium correſpondeat: ſed quod eſt connaturale, & proportionatum ſubſtantiæ, non poteſt pro arbitrio minui, aut augeri: ergò non poteſt Angelus pro libitu eſſe nunc in majori, aut minori ſphæræ ſuæ ſpatio, ſed connaturaliter debet illud complere.

II. Confirmabis à pari: non poteſt DEUS retrahere ſuam immenſitatem, & ſic minus ſpatium complecti, quàm eſt totum univerſum: ergò multominus Angelus poteſt retrahere ſuam præſentiam ad minus ſpatium.

III. Licèt Angelus poſſit modò hoc, vel illud objectum inferiùs cognoſcere, non poteſt tamen pro libitu cognoſcere objectum illud *adæquatè*, vel *inadæquatè*, ſed neceſſariò debet *adæquatè*, & *comprehenſivè* cognoſcere: ergò etiam &c.

IV. Anima rationalis, quamvìs ſibi corpus ſubordinet, non poteſt tamen modò eſſe in toto corpore, & poſteà in parte tantùm: ergò nec Angelus &c.

Reſp. ad primum conc. Maj. in eo ſenſu, quòd ſcilicet DEUS conformiter ad perfectionem entitativam Angelis conceſſerit majus, aut minùs ſpatium: nego autem eſſe proprietatem ſubſtantiæ connaturalem, & eſſe neceſſariam; cùm ſit à DEO gratìs conceſſa. Inſtantiam inadæquatam ſaltem habemus de gratia Angelorum, quæ fuit Angelis data ſecundùm proportionem perfectionis naturalis, nec tamen erat debita; quia non exigebat illam perfectio naturalis. Scio quidem diſparitatem ex eo, quòd gratia ſit ſupra naturam; ideóque exigi naturaliter non poſſit; ſed in hoc tamen eſſe paritatem, quòd omne id, quod à DEO gratìs conceditur, non poſſit eſſe proprietas à natura exigita, qualis eſt ſpatium Angelicum, poteſt ergò Angelus eodem uti totaliter, aut partia-

tialiter, donec probetur efficaciter, Angelum esse adstrictum integro semper spatio.

87 Vasquez hìc *capit. 2.* quòd Angelus possit nunc esse in minori, posteà in majori spatio, efficaciter sibi probare videtur à pari: eadem anima rationalis, ait, quæ magìs intrinsecè corpori adest quàm Angelus, omninò immutata potest esse in majori, & minori corpore, ipsum animando, ùt constat ex adulto, cujus corpus nunc animat, & anteà ùt infantis, & pueri animavit. Idem admittit de animabus sensitivis, perfectis, & indivisibilibus, ubi primò corpus vituli, & successivè corpus bovis animat respectu unius suppositi, una eadémque anima: jam si anima hoc potest, quæ tamen non sua voluntate, sed secundùm diversas dispositiones corpus animat, à fortiori poterit Angelus, qui se liberè in quovis corpore constituit. Egregiè sanè pro subtilitate Authoris.

Resp. probationem Vasquezii à paritate animæ rationalis non evincere intentum; nam anima, cùm sit actus, & forma corporis, dependet connaturaliter à dispositione corporis, ut proin pro majori, vel minori corporis informet majus, aut minus, nec hoc liberum est animæ, sed necessarium, & connaturale, quæ omnia falsa sunt in Angelo, qui nec est forma spatii, éstque semper in eadem dispositione. Unde hæc Vasquezii instantia favet potiùs Adversariis; nam manente eadem dispositione corporis e.g. in viro perfectæ ætatis non potest anima modò majus, modò minùs informare spatium: ergò quia in Angelo semper est eadem dispositio, nunquam poterit occupare minus aut majus, sed semper totum spatium. Hoc tantùm ad hominem.

88 Ad Confirmat. nego paritatem; DEUS est necessariò in omnibus, & ubique vi attributi necessarii, & essentialis, quod non convenit necessariò existentiæ Angeli-

cæ

cæ in loco, quod colligitur ex S. Thoma *hìc Q. 52. artic. 2. in fine Corp.* ubi diverſæ locationis rationes adducit, *corpus eſt in loco circumſcriptivè, quia commenſuratur loco, Angelus autem non circumſcriptivè, cùm non commenſuretur loco, ſed definitivè, quia eſt in uno loco, quod non in alio: DEUS autem neque circumſcriptivè, neque definitivè, quia eſt ubique.* Eſt ergò contractio ad certum ſpatium impoſſibilis in DEO, omnia neceſſariò complente.

Ad tertium reſpondeo, non adeò certum eſſe, ùt ſupponitur, quòd Angelus neceſſariò cognoſcat ſemper totum objectum comprehenſivè, cùm juxta multos poſſit ſua ſpecie ſibi communicata utiinadæquatè. Sed transmiſſo hoc, dico, quòd Angelus habens ſpeciem adæquatè repræſentativam objecti non poſſit non illud adæquatè cognoſcere; cùm intellectus ſemel objecto applicatus ſit potentia neceſſaria, & ſpecies, qua utitur, etiam imago neceſſaria non poteſt non totum objectum exhaurire: aliud eſt in ordine ad locum, ùt patet ex dictis. Inſtantiam pro reſponſione data habes in aliis potentiis neceſſariis, & ſenſibilibus objecto ſemel applicatis.

Ad quartum patet reſponſio ex dictis; dein anima ſibi tantùm ſubordinat corpus, quatenus illud informat, perficit, & regit, & hoc ipſo debet eſſe in toto corpore rectè diſpoſito, & organizato, quæ ſuppono ex Philoſophia de anima.

Quæres, an plures Angeli poſſent eſſe in eodem lo-89 co phyſicè? Reſpondetur communiùs negativè ex S. Thoma *hìc art. 3.* rationem aſſignat hanc: quia impoſſibile eſt, quòd duæ cauſæ completæ ſint immediatæ unius, & ejusdem rei, quod patet in genere cauſarum, quia una forma proxima unius eſt rei.

Declaratur: in tantùm Angelus eſt in loco, in quantum operatur effectum: effectum autem operatur ùt cauſa tam in actu primo, quàm ſecundo completa: ergò non

po-

potest admittere aliam concausam. Consule Philosophiam de duplici causa totali, in qua positum est per totum argumentum S. Thomæ, & hoc ordine connaturali est certissimum; dubium tamen est, an Angeli non possint attemperare concursum, ut possent plures inadæquatè concurrentes eundem producere effectum? Aliqui negant, non pauci tanquam aliquid possibile admittunt; quia non videtur esse implicantia, quod tamen solùm admittimus in casu extraordinario, DEO sic disponente. Sic habemus ab Ecclesia, quòd Corpus D. Catharinæ per Angelos fuerit NB. *mirabiliter* collocatum in Monte Sinai, & ex historia recepta, Domus Lauretana ex Palæstina per Angelos fuit translata in Italiam &c. passim alibi, ubi DEUS adhibuit plures, & tamen suffeciisset unus.

90 Denique ad locum Angelorum pertinet etiam motus, pro quo ex Physica suppono divisionem motûs in successivum, & instantaneum: prior est in alteratione, posterior apud me in generatione, quæ ab alteratione realiter distincta est, & instantanea: in continuum, & discretum: posterior fit cum interruptione, non item prior, qui successivè totum spatium emetitur. Insuper potest aliquid moveri per se, vel per accidens. Per accidens movetur aliquid, dum movetur alterum, in quo est, sic in navi mota movetur per accidens, quod in navi est. Ita etiam moventur Angeli in corporibus, quæ obsident. Per se movetur aliquid, dum ex se ipso ab uno in alterum locum transfertur.

91 Dico I. Angelus localiter movetur, dum modò in hoc, modò in alio operatur, hoc potest fieri successivè ab uno operationem quasi extendendo, in aliud, sic primo operando in *A*, postea in *D*, & ab hoc in *C*, qui tamen motus non est propriè talis, ùt fatetur ipse S. Thomas hìc *Q. 53. art. 1. in Corp.* ab initio: *sed*, ait, *sicut esse in loco æquivocè convenit corpori, & Angelo, ita etiam & moveri secun-*

dùm

lum locum potest etiam motus Angeli esse instantaneus, si Angelus in instanti operatur, imò fuerunt apud S. Thomam aliqui negantes motum successivum in Angelo, eò quòd virtus ipsius sit fortis, cui mobile non possit resistere, consequenter motus fiat in instanti, sed S. Thomas *cit. quæst. art. 3. ad 1.* ait: *velocitas motus Angeli* NB. *non est secundùm quantitatem suæ virtutis, sed secundùm determinationem suæ voluntatis*: ergo potest Angelus vel successivè, vel in instanti operari, proùt vult. Ex quo deduco, Angelum posse attemperare suam virtutem, consequenter posse eundem effectum cum aliis producere, quem potest quivis se solo, ùt num. priori diximus.

Dico II. Angelus non potest se metaphysicè ab uno extremo in alterum transferre, quin pertranseat medium, hoc est, Angelus hìc Salisburgi existens non potest se transferre Romam, nisi medium pertranseat. Ratio hujus est, quòd concipi non possit, quomodò Angelus modò existens Salisburgi posteà statim sit Romæ, quin fuerit in spatio intermedio. 92

Si dicas, Angelum esse simplicioris substantiæ, quàm animam nostram: hanc autem sua cogitatione posse transire de uno extremo in aliud, non transeundo medium; sic potes modò cogitare de Civitate Salisburgensi, posteà statim de Alba Græca, absque ulla cogitatione de Austria, quæ est medium.

Resp. S. Thom. *cit. quæst. art. 2. ad 2.* dicit, quòd Angelus in motu applicetur diversis locis (scilicet per potentiam suam) *animæ autem essentia non applicatur rebus, sed potiùs res cogitatæ sunt in ipsa, & ideò non est simile.* Recentiores alias & alias rationes cumulant, sed nihil convincentes. Unde S. Thomas passim in materiis spiritualibus docet, easdem humano intellectui impervias esse, ideóque nihil satìs capi posse.

PARS III.

DE
Illis, quæ Hominem afficiunt.

SAnctus Thomas in Prologo ad primam *secundæ partis* materiam, ut suam in docendo Methodum edoceret, profitetur, se priùs egisse in *prima parte* de DEO tanquam Auctore omnium, & exemplari, posteà *de his*, ait, *quæ processerunt ex Divina potestate secundùm ejus voluntatem; restat, ut consideremus de ejus imagine, id est, de homine, secundùm quod & ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, & suorum operum potestatem.* Et quia etiam Angelus est imago DEI longè perfectior, priùs tractavit de eo. Subinde de homine, etiam quoad se spectato, ut opus sex dierum absolveret. Dein descendit ad hominem in linea operativa secundùm rectum usum liberi arbitrii considerandum.

QUÆSTIO I.

De ultimo fine hominis.

CUm homo sibi soli non sufficiat, nec in se ipso inveniat, in quo ultimatò quiescat, aspirat ulteriùs, & ad finem ex ipsa creationis suæ conditione ordinatus quærit, ubi demum satietur, & beatitudinem

nem inveniat. Priùs autem agere oportet de ipsa ratione finis, quam explicabit

ARTICULUS I.

De fine in genere.

FInis à Philosopho *2. Phys. textu 29.* describitur, *esse id, cujus gratiâ fiunt cætera*, est scilicet id, propter quod cætera appetuntur, & ad quod omnia vel explicitè, vel implicitè ordinantur, éstque finis causa omnium prima, ùt docet S. Thomas hìc *quæst. 1. art. 1. ad 1. Finis etsi sit postremum in executione, est tamen primum in intentione agentis, & hoc modo habet rationem causæ.* Dicitur autem alius finis *cujus*, vel potiùs finis *qui*, id est, objectum, quod intenditur, vel cujus gratia aliquid fit. Finis *cui* est, quando in bonum aliquid appetimus.

Item dividitur finis in *ultimum*, & *intermedium*, hic quidem intenditur, & cujus gratiâ aliqua fiunt, ordinatur tamen ex intentione agentis ulteriùs, ille autem non ordinatur ulteriùs, sed est id, in quo intentio agentis consummatur. Eadem est illa divisio in primarium, & secundarium, si rectè sumatur. Finis *quo* est ipsa finis *qui* adeptio. Nota est etiam ex Philosophia divisio in finem operis, vel etiam habitûs, & operantis, aut habentis habitum e.g. in arte pictoria finis ipsius habitûs, & quidem intrinsecus, est artificiosa juxta regulas imago, ad hanc enim ordinantur omnia: finis operantis autem potest esse lucrum, aut vana gloria exinde capienda. Finis operis dicitur communiter esse, in quem operatio per suam naturam ordinatur: sicut autem in naturalibus finis est; ita in supernaturalibus, ut proin hæc divisio proportionaliter etiam locum habeat in supernaturalibus. E. g. Finis ultimus tuus est Beatitudo æterna, quæ omnium

operum tuorum est scopus, útque hanc securiùs obtineas, cogitas relinquere Sæculum, téque religioso statui addicere, quem tanquam finem hîc, & nunc ut assequaris, omnia tentas, quo autem obtento habes quidem finem tuum, sed tantùm intermedium, nec in eo quiescis, sed omnia refers ad ultimum, supra quem non est, quod appetas, quia in summo plenè quiescis.

2 Ex his suppositis variæ consurgunt quæstiones I. cùm finis sit causa, quænam illius sit causalitas tam in actu primo, quàm in actu secundo. II. An inter creata sit solius naturæ intellectualis, & consequenter III. an agere propter finem non conveniat brutis; sed quia hæc & alia tractantur in Philosophia, quivis hîc resolvet conformiter ad doctrinam ibi traditam. Ultimum de brutis, ut clariùs intelligatur, notandum est ex S. Thoma hìc *qu. 1. art. 2.* quòd aliquid sua actione, vel motu dupliciter possit tendere in finem. Semel potest aliquid se ipsum movere ab intrinseco ad finem, ùt homo, ita quidem ut habeat dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod consistit realiter in facultate rationis, & voluntatis. Aliter est in brutis ratione carentibus, quæ quidẽ tendunt in finem ex naturali inclinatione, quasi ab alio extrinseco mota, ita ut motus non proveniat à dominio in suos actus. Ratio hujùs est, quòd ad hoc, ut aliquid se ipsum moveat in finem, requiratur, ut cognoscat ratione finem, & media ad eum obtinendum ordinare possit, quod non convenit naturæ irrationali, quamvìs finem apprehendat, & in illum ùt talem moveatur. Est ergò discrimen inter bruta, & alia inanimata, quòd illa ferantur in finem apprehensum, hæc verò non, quia carent omni cognitione. Sic moventur ad finem levia sursum, gravia deorsum. Aliud exemplum adducit S. Thomas de sagitta emissa ad scopum tangendum, quæ tendit ad finem ab emit-

emittente intentum. Insuper S. Thomas ut explicet propriè, quid sit tendere formaliter in finem in homine, dat *loc. cit. ad 1.* exemplum in eo, qui ab alio agitur, vel ducitur ad finem, ut si quis agat ex imperio alterius, vel ab altero impellatur, in tali casu non necessarium est, ut finem cognoscat, modò imperans, aut impellens cognoscat: ergò ad hoc, ut aliquid formaliter agat in finem, vel ex fine, debet finem cognoscere & intendere, atque ad illum ex se ipso ordinare media, ut eundem consequatur, quod non brutis, multo minùs inanimatis convenit.

Dices cum Arriaga in Physica *disp. 8. sect. 7. num. 72.* bruta non solùm agi ad finem ex puro motu extrinseco, sed ab intrinseco per species sibi collatas, & modò in potentia æstimativa residentes, vi quarum apprehendunt habilitatem, & utilitatem objecti, ideóque in illud potiùs, quàm in aliud ferantur; nec gratis hoc dicitur; nam DEUS, & natura non deficit in necessariis, inter qualia est etiam, ut bruta possint apprehendere convenientia, & disconvenientia sibi. Exemplum est in stupido animali, nempe in asino, cui si opponas ex una parte fœnum, aut stramen, in altera avenam, relictîs prioribûs avenam invadet, tanquam sibi magis convenientem, quia delectabilem. Quoad utilitatem etiam patet, quia animalia quærunt sanitati utilia; ideóque non obvia quædam devorant, sed magis proficua. Ita, ùt notum est, Cervus saucius dictamnum quærit; ut vulneri medeatur. Quare hoc? nisi quòd speciem habeat illius tanquam utilis, & alterius tanquam delectabilis. 3

Resp. argumentum Arriagæ immeritò à multis explodi, ac si species illæ gratis fingerentur; nam dari in brutis species ex parte potentiæ æstimativæ, non potest esse dubium, quomodò enim bruta apprehendent objecta, si eorum species non habent? sunt autem hæ spe-

ſpecies cum ipſa animalis natura circa objecta utilia, delectabilia, & diſconvenientia, aut contraria productæ; hoc enim ad perfectionem bruti in ſua linea requiritur; DEUS enim ex *1. Geneſ. verſ. 25.* ubi die ſexto *fecit beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ* &c. *& vidit DEUS, quòd eſſet bonum:* ergò, quia bruta erant perfecta, recipiunt etiam ſpecies objectorum, ut poſſint ea apprehendere.

4 Nec obeſt, quòd S. Thomas hìc *art.* 2. dicat, quòd tota irrationalis creatura comparetur ad DEUM ſicut inſtrumentum ad agens principale, ideóque à DEO agatur, vel ducatur in finem.

Nam S. Doctor ibi latè ſumit inſtrumentum, in quo ſenſu etiam intellectivæ creaturæ ſunt ſuô modô inſtrumenta DEI, quatenùs ea movet, ùt primus motor, per hoc autem non ſequitur, quòd ſint vera inſtrumenta, ex ſola virtute transeunter impreſſa, agentia. Et certè nemo ſanus negat, leonem reſpectu alterius geniti eſſe cauſam principalem, & ſic de aliis; ſi autem eſſet nudum inſtrumentum, non rectè diceretur cauſa principalis. Sumit ergò S. Thomas *agens principale* pro agente primo, à quo & virtus, & motus primus procedit ſine præjudicio cauſarum principalium ſecundarum. Cæterùm creatura irrationalis juxta S. Thomam agitur, & ducitur in finem mediantibûs illîs ſpeciebûs.

Poſſunt inſuper bruta ab objectis novas ſpecies acquirere, iísque in phantaſia reſidentibus vel allici, vel abſterreri ab objectis, ùt conſtat ab experientia. In hoc unico diſſentio ab Arriaga, quòd ille ſuppoſita in brutis apprehenſione finis, ac mediorum, putet, bruta reverà, & formaliter agere propter finem; nam, ait ipſe, ſi ex eo, quòd bruta hæc non faciant mediante diſcurſu per comparationem reflexam mediorum, negetur, operari pro-

propter finem, fieri quæstionem de nomine. Hoc tam S. Thomæ, quàm rationi contrarium est; nam agere propter finem formaliter non est tantùm cognoscere finem, & media, sed finem apprehensum in ordine ad consecutionem comparare cum mediis, illáque seligere, quæ magis conducunt, hoc non convenit brutis, quia essentialiter discursum saltem virtualem requirit. Insuper pro ultimo formali requiritur, ut agens formaliter propter finem sit liberum, possítque unô mediô relictô aliud assumere, vel totum respuere: *illa*, ait S. Doctor *cit. loc. in Corp. quæ rationem habent, se ipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium.* Bruta verò ùt objectum & media per species occurrunt, moventur in sibi convenientia, aut avertuntur à contrariis, sed hæc aliis relicta sunto. S. Thomas agit *art. 4.* de specificatione actuum humanorum ex fine, quod infrà recurret *art. 4.* probat humanæ creaturæ esse finem aliquem ultimum, sed an unius hominis possint esse plures fines ultimi? resolvit negativè.

Dico I. non potest homo habere efficaciter duos fi- 5
nes ultimos adæquatè tales.

Ratio ex Philosophia S. Th. est facilis de adæquatione tam in genere causæ efficientis, quàm formalis, ubi nec duæ causæ adæquatæ respectu unius effectûs in actu secundo admittuntur, nec duæ formæ substantiales respectu ejusdem materiæ: sicut ergò una causa adæquat effectum, & una forma materiam, ita unus finis ultimus adæquat totam tendentiam voluntatis. S. Thomas hìc *art. 5.* tres rationes Theologicas addit, quæ ultimatò in principia philosophica resolvuntur. Prima est in eo, quòd ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum, ut nihil extra ipsum appetendum relinquat. Illud tantùm nota ex hoc *art.* in ordine ad alia, quod ait S. Thomas in *Corp. illud*

ap-

appetit aliquis, ut ultimum finem NB. *quod appetit ùt bonum perfectum impletivum sui ipsius*, reliqua duo fermè in idem coincidunt.

6 Dico II. Finis ultimus, seu beatitudo objectiva hominis est DEUS.

Ratio est: finis ultimus non potest esse bonum creatum; quia non est ex omni parte perfectum, & vel ideò non potest totaliter quietare appetitum: ergò finis ultimus est solus DEUS.

Confirmatur: objectum voluntatis humanæ terminativum est bonum universale, sicut objectum inteilectûs est verum universale: sicut ergò nullum verum particulare adæquat vim cognoscitivam intellectûs: ita nullum bonum particulare satiat appetitum voluntatis. Unde infert S. Doct. hìc *quæst. 2. art. 8. in Corp.* solus DEUS voluntatem hominis implere potest, secundùm quod dicitur in *Psal. 102. qui replet in bonis desiderium*, quò etiam spectat illud *Psal. 14. ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Dices: homo est essentialiter limitatus, & finitus: ergò potest etiam satiari bonô creatô, & particulari. Respond. cum communi concedo antec. nego conseq. licèt enim homo sit finitus, quia tamen subjacet infinitis miseriis, quæ tolli non possunt à bono creato, tolli debent possessione boni infiniti, omnia mala adæquatè excludentis.

Respondeo aliter, quòd licèt homo spectando præcisè naturam limitatam, videatur satiari posse bono creato; quia tamen nullum creatum est ultimum id, in quo sistat appetitus ejus, hoc ipso, quòd illud bonum sit defectibile, & amissibile, nec includat omnia, ad quæ se extendit voluntas, non potest habere rationem ultimi finis, & beatitudinis, quæ juxta Boëthium de *Consol. Philos. est sta-*

tus

tus omnium bonorum congregatione perfectus. Paritas est à potentia intellectiva, quæ solùm exhauritur per veritatem universalem primam, & cætera participantia complectentem. Videatur S. Thomas *cit. quæst. & art. ad 3.* qui sibi idem objicit, & paulò aliter resolvit.

Cæterùm ad alias objectiones solvendas distinguendus est status naturalis, & supernaturalis. In primo homo respicit DEUM pro ultimo fine ùt summum bonum naturale, & abstractivè cognitum, & amatum. II. Ut summum Bonum supernaturale intuitivè cognitum, & amatum. Est autem homo, utì diximus de Angelis, ab initio creationis ordinatus in finem supernaturalem, quia non datur de facto status naturæ puræ: consequenter homo in hac providentia respicit DEUM ùt summum Bonum supernaturale, quem mediante gratia, & in sensu composito statûs supernaturalis potest acquirere.

ARTICULUS II.

In quo consistat beatitudo formalis?

7 CUm juxta dicta DEUS sit beatitudo objectiva hominis, quæstio est, quonam actu, vel medio DEUS acquiratur, & homo ex acquisitione illius beatus, & plenè satiatus fiat. Hæc beatitudo formalis variîs nominibûs effertur; dicitur enim consecutio, adeptio, seu possessio summi Boni, quæ omnia fiunt per actus vitales hominis immanentes, scilicet per visionem, aut amorem, gaudium &c. per visionem DEUS cognoscitur intuitivè juxta illud *Joan. 17. v. 3. hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum &c.* sed an in ista cognitione, seu visione essentialiter formaliter consistat beatitudo, an verò in actu voluntatis scilicet in amore, & possessione DEI, ùt *summi*

mi Boni, non leve dubium est, Thomistis primum defendentibus, Scotistis autem cum suo Doctore secundum. Recentiores non pauci, ne vel Thomistas, aut Scotistas offendant, utramque partem pro completa essentialiter beatitudine requirunt, tenéntque beatitudinem coalescere ex duobus actibus, scilicet visione, & amore beatifico, ita ut hoc concretum constet ex extremis essentialiter talibus. Ita Suarez, Pallavicinus, & Comptonus hìc cùm aliis posterioribus. Ante resolutionem argumenta Thomistarum, quæ in substantia conveniunt, percipienda sunt

8 I. Beatitudo formalis est prima consecutio, & adeptio, seu possessio summi Boni tanquam beatitudinis objectivæ: sed hæc conveniunt soli visioni: ergò visio est formalis beatitudo. Maj. ipsis constat ex SS. Litteris, ubi beatitudo formalis nomine possessionis exprimitur, ùt *Matth. 25.* dicitur, *venite benedicti Patris mei, possidete Regnum.* Et *Luc. 10. quid faciendo vitam æternam possidebo &c.* Min. est expressa clarissimè à S. Thoma hìc *quæst. 3. artic. 4.* per totum; in *Corp.* autem ab initio sic resolvit: *dicendum, quòd ad beatitudinem duo requiruntur, unum quod est esse beatitudinis: aliud quod est quasi per accidens ejus, scilicet delectatio ei adjuncta: NB. dico ergò quòd quantùm ad id, quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est, quòd consistat in actu voluntatis,* & paulò inferiùs in *Corp.* ex aliis ibi adjunctis infert: *sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectûs consistit, sed ad voluntatem pertinet delectatio, beatitudinem consequens, secundùm quod Augustinus dicit lib. 10. Confess. quòd beatitudo est gaudium de veritate.* quia scilicet (explicat S. Thomas) *ipsum gaudium est consummatio beatitudinis.*

9 II. Actus voluntatis scilicet amor felicitatis vel est amor boni ùt absentis, vel obtenti, aut præscindit à præsentia, & absentia? Primô modô est purum desiderium, non-

nondum adeptio, & possessio. Secundô modô supponit felicitatem jam acquisitam, & possessam. Tertiô modô convenit etiam viatori: ergò nullus amor potest esse formalis prima, & propriè dicta possessio summi Boni. Hoc argumentum est desumptum ex *Corp.* S. Thomæ, sed minùs rectè, ideóque nullam habet efficaciam.

Recentiores se maximè fundant in SS. PP. ex quibus 10 unum, & alterum, quorum textus difficiliores videntur, seligimus. I. S. Bernardus *Epist. 13.* ait: *sicut initiat in hac vita amor*: & post pauca: *His ergò fortasse quasi duobus animæ brachiis intellectu scilicet & amore, id est, cognitione & dilectione veritatis amplectitur, & comprehenditur ab omnibus Sanctis longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.*

II. S. Prosper discipulus S. August. *lib. 5. de vita contemplat. cap. 1.* dicit: *videre DEUM summum, solidumque est gaudium, summum verò gaudium, præmium verè creditur Beatorum.* Etiam affert S. Augustinum *lib. 10. de Civit. DEI cap. 1. cùm quæritur*, ait, *quare Beati illi sint? Rectè respondetur, quia adhærent DEO: & cùm quæritur, cur isti miseri, rectè respondetur, quia non adhærent DEO.* Imò *Tom. 1. de moribus Ecclesiasticis lib. 1. cap. 14.* conformiter prioribus dicit: *quid aliud erat optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum, cui inhærere certè non valemus, nisi dilectione.* Denique P. Marin. hìc *tract. 5. disput. 1. sect. 4.* etiam adducit Cathechismum Romanum in illa verba: *credo vitam æternam* dicentem: *solida beatitudo, quam essentialem licet vocare, in eo sita est, ut eum videamus, ejúsque pulchritudine perfruamur.* Idemmet Author ait, hanc suam, & sociorum opinionem definitam esse à Benedicto XI. in *Extravag.* aliqua, animas scilicet justas ex hac vita discedentes visione, & fruitione esse beatas. Ex his infert cit. Author ex Suarez, & aliis, sententiâ hâc mediâ conciliari scripturam, PP. & Authores, visionem, vel amorem seorsim, unum

excluſô alterô pro beatitudine formali eſſentiali aſſignantes. Si ergò complexum ex viſione, & amore pro beatitudine illa ponatur, ita ut utraque pars ſit eſſentialis, habent & Thomiſtæ ſuam *viſionem*, & Scotiſtæ *amorem*; ſed neutrius partis inibit gratiam hic Authoꝛ, quam nec S. Bonaventura promeruit, ex quo opinio media deſumpta eſt.

11 Dico I. Beatitudo ſumpta pro prima ultimi finis apprehenſione conſiſtit in viſione. Ita S. Thomas conformiter multis Scripturæ textibus.

Ratio noſtra eſt: per viſionem fit homini intimè præſens DEUS ùt ultimus finis; cùm intimè illabatur menti Beatorum, eíque uniatur: ſed hæc unitio eſt prima, & inamiſſibilis apprehenſio DEI, ùt ultimi finis: ergò in viſione conſiſtit. Hoc ampliùs explicat S. Thomas *cit. artic. in Corp.* ubi ordinem actuum ſibi ſuccedentium explicat ſic: *Sic igitur & circa intelligibilem finem contingit; nam à principio volumus conſequi finem intelligibilem: conſequimur ipſum autem per hoc, quod fit præſens nobis per actum intellectûs,* & NB. *tunc voluntas delectata conquieſcit in fine jam adepto.* Fecit autem S. Thomas anteà inſtantiam de fine ſenſibili in eo, qui appetit habere pecuniam; priùs enim ùt abſentem cupit, poſteà eandem conſequitur per hoc, quod manu ipſam apprehendat, vel *aliquo hujusmodi*, & tunc jam delectatur in pecunia habita. Primam ergò finis apprehenſionem ponit S. Thomas pro beatitudine formali eſſentiali. Sed tamen

12 Dico II. Beatitudo formaliter ſpectata non conſiſtit in viſione, ſed in poſſeſſione DEI ùt Summi, & ultimi boni mediante actu amoris.

Prob. I. quoad I. Partem: beatitudo objectiva eſt DEUS ùt ſummum, & ultimum bonum: ſed DEUS ùt ſummum, & ultimum bonum non acquiritur, nec poſſide-

sidetur per visionem: ergò in visione non consistit Beatitudo formaliter. Major. suppono ex dictis, & mente S. Thomæ suprà relati ex *quæst. 1. hìc art. 5.* quod propter Adversarios repeto: sic autem ab initio *Corp.* probat impossibilitatem, quòd voluntas unius hominis simul se habeat ad diversa sicut ad ultimos fines ex triplici ratione. Prima est: *Quia cùm unum quodque appetat suam perfectionem, illud appetit aliquis ùt ultimum finem, quod appetit ùt bonum perfectum, & completivum sui ipsius.* Idem reipsa dicit in duabus rationibus sequentibus, unde in ratione tertia concludit: *oportet, quòd sicut omnium hominum est naturaliter unus finis ultimus, ita hujus hominis voluntas in ultimo fine statuatur.* Min. prob. quod est extra sphæram visionis, non potest NB. formaliter acquiri, & possideri per visionem: sed DEUS ùt summum bonum, & finis ultimus est extra sphæram visionis: ergò non potest per illam acquiri, & possideri formaliter.

Declaratur: Visio est actus potentiæ intellectivæ: ergò ad id tendit, ad quod ipsa potentia; potentia autem intellectiva non tendit in objectum quà bonum, sed quà verum, & sub ratione formali prorsus distincta à ratione formali *sub qua* potentiæ volitivæ: DEUS ergò per visionem ad summum acquiritur, & suô modô etiam possidetur ùt prima, & summa veritas, relinquit autem voluntati rationem primæ, & Summæ bonitatis, quæ est aliàs communis opinio omnium cum S. Thoma tam in Philosophia, quàm Theologia. Ex quo

Prob. II. altera Pars: quod est intra sphæram solius potentiæ volitivæ, ab ipsa solùm *formaliter* per actum proprium acquiritur, & possidetur: sed DEUS quà Summum bonum, & ultimus finis est intra sphæram solius potentiæ volitivæ: ergò DEUS quà summum Bonum, & ultimus finis acquiritur, & possidetur formaliter à voluntate;

te; cùm autem amor formalis sit actus formalis voluntatis, & per ipsum fiat unio inter amantem, & amatum, rectè mediante illo fit possessio amati, ùt constat etiam in istis inferioribus. Patet etiam à pari: sicut enim unio in linea intelligibili provenit à visione DEI, qua mediante fit unio inter cognoscens, & cognitum: ita unio in linea volitiva provenit ab amore, quo mediante fit unio inter amantem, & amatum. Nec,

14 Quæ diximus in Conclusione prima, officiunt rationibus secundæ Conclusionis. Nam ibi solùm admittimus DEUM ùt summum Bonum fieri præsens intellectui per intimum illapsum, sicut aliàs bonitas objectiva in inferioribus fit intimè præsens per speciem, ex hoc tamen non sequitur, quòd in illo illapsu consistat adeptio boni formalis quà talis, sed solùm *entitativè*, *materialiter*, & *præsuppositivè*; Sic etiam DEUS tanquam beatitudo objectiva, & ultimus finis per visionem acquiritur primo præsuppositivè, entitativè, & materialiter: est ergò visio, seu intellectio respectu adeptionis formalis boni sola conditio sine *qua non*, utì de causa finali, ejúsque actuali causalitate communis Thomistarum discurrit in Physica. Nec ea, quæ ex S. Doctore adduximus, obsunt; damus enim, fieri præsens per actum intellectûs, bonum *quod est tale*, sed *non quà tale*: & sicut in Exemplo S. Thomæ, qui appetit habere pecuniam, priùs illam ùt absentem cupit, posteà eandem, ùt præsentem apprehendit manu, vel marsupio &c. sic homo beatitudinem objectivam priùs cupit, dein per intellectum, & in intellectu præsentem per amorem complectitur, & in complexu delectatur. Si autem cum S. Doctore aliud non velis, quàm primam apprehensionem intellectivam, damus spontè, illam non posse consistere in actu voluntatis, quàm parùm amor, & delectatio consistit in actu intellectûs, nos autem loqui-

quimur de formali consecutione summi Boni *quà talis*, non *quod talis*. Ex his desumenda est responsio ad objectiones Thomistarum *à num. 10.* ad primam igitur

Respondeo conc. Maj. negando min. quòd consecu- 15
tio, & adeptio formaliter pertineant ad visionem. Textus Scripturæ sunt pro nobis; quia per amorem possidetur formaliter Regnum DEI, & *vita æterna*. Textus S. Doctoris explicandi sunt juxta dicta in secunda conclusione.

Ad argumentum secundum respondeo, quòd Beatitudo formalis sit amor boni per intellectum præsentis, nego autem, quòd jam supponat ille amor felicitatem formaliter, & quà talem acquisitam; unde illa interrogatio trimembris evanescit.

Recentiorum textus accipiendi sunt vel de integrita- 16
te Beatitudinis, vel dicendum, SS.PP. simpliciter de Beatitudine dixisse tam quoad antecedentia, quàm consequentia ejusdem, nec materiam istam Scholasticè, & rigorosè examinâsse, uti reverà est, & ex tot SS. PP. *Homiliis* constat. Dein Cathechismus Romanus, quem aliàs de gratia efficaci aliísque non attendunt Recentiores, quia jussu Pii V. à Dominicanis est editus, hìc minùs rectè in subsidium vocatur, sed sine effectu; nam solùm dicit essentialem beatitudinem, sed ita, ut *visio* sit *essentialis*, id est, absolutè necessaria conditio, *perfrui* autem sit formalis quà talis cum delectatione possessio per amorem. Alterum, quod ait Pater Marin de sua, & suorum opinione, ac si esset definita à Benedicto XI. Papa, est omnino ridiculum, I. quia animas justas post hanc vitam visione, & fruitione esse beatas, admittunt omnes, quænam autem pars rationem beatitudinis *formaliter essentialis* contineat, hoc non dicit. II. Quia Pontifex in similibus quæstionibus Theologico-Metaphysicis nihil definire potest,

quam-

quamdiu non ingrediuntur materiam fidei, aut morum, quæ est sphæra Pontificis ex Cathedra loquentis. Quid si Pontifex diceret, existentiam distingui ab essentia realiter, vel materiam primam non posse absolutè existere sine forma, & sic de aliis Metaphysicis, si definiret, an crederent Socii? Nihil minùs.

Cæterùm nec Thomistæ, nec Scotistæ opus habent illa sententiarum conciliatione, de qua sibi blandiuntur Recentiores, quia diu ante sæculum 16. in quo primùm emersérunt, de hac materia disputârunt amico certamine, alienæ opis nunquam indigi, quid ergò illi veterani à noviter conductis auxilii exspectent?

ARTICULUS III.

De consequentibus beatitudinem.

17 EX dictis constat, beatitudinem formalem *ùt quo* consistere in amore, seu unione illa amantis cum amato, an verò ille amor sit necessarius ab intrinseco, vel contingens intrinsecè, & solùm ab extrinseca DEI ordinatione, dubium est, Scoto hoc ultimum dicente, Thomistis autem communiter primum defendentibus. Ante quod tanquam certum suppono I. defactò voluntatem nunquam à suo amore, delectatione, & gaudio esse cessaturam, ex illo *Joan. 16. v. 22. gaudium vestrum nemo tollet à vobis:* Et Isaiæ 65. v. 18. *gaudebitis, & exultabitis usque in sempiternum.* Et passim alibi in Scriptura. Suppono II. posse absolutè loquendo voluntatem à suis actibus impediri per negationem concursûs Divini; nec enim implicat, ut DEUS ad visionem concurrat, & quoad amorem eundem suspendat. Quæstio ergò est, an actus amoris sit ab intrinseco necessarius? Ad quam

Re-

Respondeo affirmativè tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium. Ratio primæ partis est, quòd voluntas bonitatem summam per visionem repræsentatam non possit odisse, quamdiu non apparet ullum motivum odii: nullum autem in bono simpliciter tali apparere potest: consequenter non potest odisse, sed necessariè debet amare.

Ratio secundæ partis, quæ in eo consistit, quòd voluntas necessariò amet exercitè DEUM, ùt summum Bonum, nec possit ullo instanti ab amore actuali cessare, est hæc: ubi objectum voluntati proponitur sine ulla indifferentia, sed simpliciter sub ratione summi Boni, voluntas necessariò ad amorem rapitur: sed per visionem DEUS ùt objectum proponitur à visione simpliciter sub ratione summi Boni: ergò voluntas necessariò ad amorem rapta nullo instanti potest cessare. Maj. suppono à contrario; quia voluntas juxta omnes est semper libera, quamdiu objectum proponitur sub indifferentia: ergò est necessaria, & sic ipsius actus necessarius, quando objectum proponitur sine indifferentia, & sub ratione summi Boni simpliciter talis. Hoc ampliùs patebit infrà de libertate. Min. est certa; quia DEUS per visionem cognoscitur, ùt est in se cum omnibus attributis: ergò proponitur voluntati ùt est in se summum Bonum, consequenter semper amatur, explens totam tendentiam, & appetitum voluntatis.

Ex quibus facilè occurritur argumentis Scoti I. ex S. Augustino, quem ex Enchiridio *cap. 105.* adducit, ubi dicit: *aut voluntas non est, aut libera est dicenda.* Et in *cap. 5.* de Trinitate dicit: *si aliquod est voluntarium, non est necessarium.* Amor autem in Beatis est voluntarius: ergò non est necessarius.

21 II. Ex ratione : voluntas viatoris est libera quoad amorem DEI : ergò etiam Beati. Consequentia prob. Viatori proponitur per fidem DEUS, ùt summum Bonum diligendus, & tamen est liber ad amorem : ergò etiam si in patria proponitur tanquam summum Bonum per visionem, Beatus est liber ad amorem. Dein necessitas amandi debet provenire ab aliquo principio intrinseco : sed hoc ostendi non potest ; cùm per visionem intrinsecè non mutetur voluntas Beati, sed solùm extrinsecè, quatenus Beatus videt clarè, quod viator anteà cognovit obscurè, quod totum se tenet ex parte objecti extrinseci.

III. Quia approximatio, quæ fit per visionem, non inducit necessitatem, sed tantùm majorem actionis intensionem, ùt patet ex approximatione calefaciendi ad calefactionem : consequenter non tollitur libertas amandi DEUM, etiamsi per visionem fiat proximior voluntati DEUS ùt summum Bonum.

22 Respondeo ad primum, S. Augustinum primô locô intelligendum esse de voluntate viatoris, quæ est libera. Ita & alter textus ordinariè de voluntario accipiendus est. Vel potest cum S. Thoma *quæst. 22. de verit. art. 5. ad primum*, dici, voluntatem semper esse liberam à coactione, non autem à necessitate naturalis inclinationis, ùt fit in patria, ubi objectum clarè, & sub omni ratione boni proponitur, ad quod dein connaturali inclinatione voluntas trahitur. Textus alter ex S. Augustino universaliter non est verus ; nam omne quidem liberum est voluntarium, sed non omne voluntarium est liberum, utì hunc ipsum actum amoris in patria infrà de voluntario pro exemplo statuemus. Ratio est, quòd actus ille vel maximè voluntarius sit, quo voluntas toto impetu fertur in bonum perfectissimum, sed cur liber non sit, ex eo pro-

ve-

venit, quòd objectum simpliciter sub ratione boni proponatur, neutiquam sub aliqua indifferentia, quæ essentialiter requiritur ad libertatem. Ad II. conc. antec. nego consequentiam. Ad prob. dico, per fidem proponi DEUM ùt summum Bonum solùm obscurè, & confusè, per visionem autem clarè, & apparens ùt est in se, ubi locum habere non potest bonum aliud delectabile creatum, quando adest perfectio omnis boni delectabilis, ut ex parte voluntatis nulla sit arduitas, nullum fastidium non amandi, sed plena satietas. Per fidem autem ita obscurè proponitur, ut propter arduitatem credendi voluntas possit declinare ad aliud bonum delectabile creatum, relictô bonô summô tantùm obscurè cognitô, ùt constat ab experientia in nobis peccatoribus.

Ad subjunctum *deinde* conc. Maj. nego min. ad ejus probationem admitto, voluntatem non immutari per aliquid intrinsecè receptum, mutari tamen extrinsecè, occasionaliter, & objectivè, hoc est, quod in objectum clarè propositum sub pura ratione boni connaturaliter feratur necessariò, ita ut actus sit necessarius à potentia necessariò proveniens propter objectum perfectissimum, & potentiam rapiens in sui amorem, quod omninò non est in objecto tantùm obscurè proposito ùt summo bono, multò minùs in objectis creatis, & deficientibus à perfecta bonitatis ratione. Nam ego quidem, quidquid sentiant alii, existimo, voluntatem esse de se intrinsecè indifferentem ad actum necessarium, & liberum proùt fuerit objectum illius: si objectum continet simpliciter bonum tale, necessariò fertur, si indifferens, liberè illud amplectitur. 23

Ad tertium nego approximationem nudè sumptam esse causam necessitatis in actu amoris: sed causa & occasio est, quòd per visionem proponatur objectum sub pu-

ra ratione boni, ſicuti approximatio objecti per ſpeciem non eſt cauſa libertatis in via, ſed propoſitio objecti ſub indifferentia. Unde paritas de igne adeò ſubtilis non eſt, ut non poſſit comburi à Thomiſtis; nam calefactivum agens in calefaciendum diſtans virtutem calefactivam quidem effundit, ſed quia per medium tranſiens debilitatur, tanta intenſione non agit, quàm ſi in paſſum præſens ageret, quia virtus in hoc poſtremo non adeò diffunditur, & debilitatur. Unde hæc paritas de calefactivo eſt valde frigida. Ex hac difficultate conſurgit alia.

24 An Beati ſint per viſionem, & amorem neceſſarium intrinſecè impeccabiles?

Habet hoc dubium aliquam convenientiam cum illa quæſtione de Incarnatione, an Chriſtus per unionem hypoſtaticam fuerit intrinſecè impeccabilis? pro quo diſtinguenda eſt intrinſeceitas impeccabilitatis, an ſcilicet natura beati ſit intrinſecè, & eſſentialiter impeccabilis, ſicut de natura humana in Chriſto idem quæri poteſt; an verò tantùm fiat impeccabilis ratione viſionis, & amoris intrinſecè naturam afficientis, & in Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ, & ſubſiſtentiæ Verbi intrinſecè naturam humanam terminantis? primum ego nego tam in beato, quàm in Chriſto; qua utrobique natura ex ſe eſt defectibilis remotè, & hoc ipſo peccabilis, alterum admitto, &

25 Dico: Beati ſunt ab intrinſeco impeccabiles. Eſt contra Scotum, ſemper in extrinſecis hærentem, nequid S. Thomæ concedat.

Ratio eſt primò: Beatitudo formaliter conſiſtit in poſſeſſione ſummi, & eſſentialis Boni per amorem: ſed poſſeſſio illa per amorem eſt beatis intrinſeca: ergò vi illius beati ſunt ab intrinſeco impeccabiles. Maj. ſuppono ex dictis. min. eſt omnibus certa. Conſequentia de-

cla-

claratur: ubi est impedimentum intrinsecum repugnans peccato, ibi datur impeccabilitas ab intrinseco talis: sed in beatis est impedimentum tale: ergò in illis datur impeccabilitas ab intrinseco talis. Major. est clara, min. prob. amor beatificus DEUM attingens sub ratione summi, & essentialis boni, adæquantis omnem voluntatis tendentiam est impedimentum intrinsecum repugnans peccato; quia hoc ipso, quòd voluntatem adæquet, & exhauriat illius tendentiam expellit omne peccatum; nam ad hoc, ut beatus esset peccabilis, deberet voluntas ipsius posse tendere in aliud bonum cõmutabile extra DEUM: sed hoc est impossibile stante illa adæquatione, exhauriente omnem voluntatis tendentiam: ergò amor beatificus est impedimentum intrinsecum repugnans peccato.

Discursus reipsa est conformis Doctrinæ Thomisti-26
cæ, quamvìs illi impeccabilitatem intrinsecam ponant primariò in visione, secundariò autem in amore; quia in visione constituunt beatitudinem *formaliter* talem; cùm ergò nos eandem formaliter constituamus in amore, ab isto impeccabilitatem formaliter, & ultimatò desumimus; visionem ergò tanquam principium radicale impeccabilitatis admittimus, quatenus illa stante non potest non voluntas rapi in DEUM, ita ut impossibile sit illam ferri in aliquod extra DEUM, tenent hanc opinionem antiquiores Thomistæ Soto, & Capreolus aliíque.

Si dicas I. Beatos manere intrinsecè, & remotè pec-27
cabiles, proximè tamen esse solùm peccabiles per voluntatem DEI, seu Decretum, ut beati semper continuent suos actus, hoc autem esse merè extrinsecum, consequenter impeccabilitatem neutiquam esse intrinsecam.

II. Cum aliis: quamvìs beatitudo sit plene satiativa, & afferat omne gaudium, nihilominùs tamen cum illa

ſtare poteſt triſtitia, afflictio, ùt contigit in Chriſto Domino, qui erat beatus, & comprehenſor; triſtitia autem non minùs repugnat gaudio, quàm peccatum beatitudini: ergò ſi triſtitia poteſt ſtare cum gaudio, poterit etiam peccatum ſtare cum beatitudine.

III. Cum Godoy, qui *quæſt. 3. de Beatitud. à num. 39.* ſibi objicit quoad ſubſtantiam, & re ipſa hoc: poteſt DEUS præceptum imponere beato de actu aliquo liberè exercendo e.g. cuſtodiendi hominem: ſed tali præcepto ſuppoſito poteſt beatus peccare: ergò peccatum eſt compatibile cum ſtatu beati. Maj. ſupponitur; cùm beatus adhuc ſuppoſitô præceptô liberè cuſtodiret: ergò poſſet non cuſtodire: ſed poſſe non cuſtodire: eſt poſſe peccare: ergò tali præcepto ſuppoſito poteſt beatus peccare. Prob. min. actu non cuſtodire ſuppoſito præcepto, eſt peccare: ergò poſſe non cuſtodire ſuppoſitô præceptô eſt, poſſe peccare. Plura adhuc pro confirmatione addit ſimilia, & denique ait, hanc objectionem ob ſui difficultatem malè torquere Theologorum ingenia, & in tot Sententias, quot capita dividere.

28 Reſpondeo I. ad argumentum I. ex dictis concedendo primam partem Maj. neg. autem ſecundam, & dico, id provenire ex intrinſeca ratione beatitudinis in amore conſiſtentis, vi cujus beati non poſſunt ceſſare ab amore repugnante peccato; nego etiam, quòd opus ſit voluntate DEI, ſeu decreto, ut beati continuent ſuos actus, quos aliàs ex ipſa ratione intrinſeca continuant, objecto beatitudinis neceſſariò trahente. Ad II.

Reſpondeo, inſtantiam de Chriſto ad beatum in *termino* eſſe nullam: Chriſtus quidem comprehenſor, ſed & viator ſimul erat, in quem ſolum potuit cadere triſtitia, utpote ſibi purè relictum: vel triſtitia illa ſolùm affecit humanitatem, & Chriſtum ùt hominem: Beati verò

rò ùt constituti *in termino* nec dolorem nec tristitiam sentire possunt. Possent absurda ex hac parte deduci: Christus passus, vel Christus mortuus est: ergò & beati pati, & mori possunt.

Ad III. respondeo hoc argumentum defactò habere locum in Angelis custodibus ad hominum custodiam deputatis, & constat ex Scriptura præsertim ex historia Tobiæ, quem Raphaël ex voluntate seu mandato DEI comitabatur: ideóque superflua est fictio novi casûs. Godoy ut solvat hoc argumentum recurrit ad sensum compositum, & divisum, ut suprà de impeccabilitate Angeli in primo instanti dictum, dátque instantiam de meritis Christi, & de præcepto moriendi, sed ùt monui una difficultas augetur per alteram.

Respondeo aliter juxta nostra principia, & trans- 29
mitto Maj. quia multi negant tale præceptum rigorosum utpote Chymericum, dicúntque præceptum tale esse nudam insinuationem Divinæ voluntatis, quàm beatus non potest non sequi, quia totaliter converso ad DEUM non potest extra DEUM apparere ratio non sequendi. Hinc nego min. ad prob. Maj. ejúsque suppositi nego absolutè antec. cum consequentia, quæ ex falso antecedenti deducitur; Beatus quidem voluntariè custodiret, sed non liberè, ita, ut custodiam posset omittere, quàm parùm defactò possint Angeli. Ratio hujus est; quia omissio talis custodiæ non potest stare cum amore beatifico, cui repugnat: consequenter beatus quà talis (de hoc enim loquimur) necessariò necessitate excludente libertatem tam privativam, quàm istam contradictionis implet præceptum custodiendi, sicut necessariò amat DEUM, nec potest amorem à se dividere, vel ab illo cessare, quamdiu nullum motivum est extra DEUM, illud potiùs amandi quàm DEUM, quale deberet esse omissio custo-

ſtodiæ. Utque pateat diſparitas inter beatum, & viatorem amantem, hic non amat DEUM ùt intuitivè cognitum, adeóque non neceſſariò amat, ſed liberè, potéſtque pro libertate ſua ab amore ceſſare: beatus autem ùt intuitivè cognitum amat, & neceſſariò: ergò ab amore non poteſt ceſſare.

ARTICULUS IV.

De perpetuitate Beatitudinis, ejúsque variis prærogativis.

30 CUm beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus, exigere videtur ſtabilem illorum bonorum poſſeſſionem, quia & ipſa ſtabilitas eſt inter bona præcipua; quòd autem defactò ſit beatitudo perpetua, eſt de fide. An verò ſtabilitas proveniat ab intrinſecis prædicatis beatitudinis, vel ſolùm ab extrinſeca ordinatione DEI, ſeu decreto, iterum dubium eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas.

Dico I. Beatitudo ex propria natura eſt perpetua, & inamiſſibilis. Concluſionis veritas deduci poſſet ex dictis de natura beatitudinis toties expreſſa. Hinc iterum

Prob. ad mentem S. Thomæ negativè: ſi beatitudo non eſſet ex ſe ipſa perpetua, & inamiſſibilis, ex ſe ipſa non ſatiaret, & quietaret beatum: hoc autem eſt contra naturam beatitudinis: ergò eſt ex ſe ipſa perpetua, & inamiſſibilis. Maj. eſt nobis certa; quia beatus in conſideratione reflexa beatitudinis in ſe ſpectatæ poſſet eſſe anxius, ne eam amitteret. Min. prob. nam inter præcipua, quæ exoptat beatus, eſt, ut bonum, quod poſſidet, ſit perpetuum: ergò vi beatitudinis ex ſe ſpectatæ non eſſet plenè ſatiatus, ſi eſſet ex ſe amiſſibilis. Hinc S. Thomas hìc *quæſt. 5. art. 4.* ubi poſtquàm longè probavit, beatitu-

titudinem *perfectam* debere excludere omnem sollicitudinem, & timorem, sed afferre plenam certitudinem, concludit: *Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quòd homo certam habeat opinionem, bonum quod habet, se nunquam amissurum.*

Et quamvìs S. Thomas ibi loquatur solùm de beati- 31
tudine quadam creata, & in communi, tamen exinde fieri potest argumentum à fortiori ad beatitudinem illam objectivè increatam, & ultimam. Unde S. Doctor in altera parte *Corp.* illius de beatitudine speciali, scilicet cœlesti, quæ omnia continet bona sine omni fastidio, & tædio possidenda, subinde infert: *ergò patet, quòd propria voluntate beatus non potest beatitudinem deserere: similiter non potest eam perdere DEO subtrahente, quia cùm subtractio beatitudinis sit quædam pœna, non potest talis subtractio à DEO justo judice provenire, nisi pro aliqua culpa, in quam cadere non potest, qui DEI essentiam videt, cùm ad hanc visionem ex necessitate sequatur rectitudo voluntatis.* Hic textus explicat remclarè, quem interpretes S. Thomæ longè deducunt, & plerúmque obscurum reddunt. Ex his

Non admitto, si dicas cum Scoto, beatum sufficien- 32
ter liberari ab anxietate, & fieri securum ex eo, quòd DEUS decreverit, beatitudinem perpetuò conservare, modò illud decretum cognoscat; nam

Contra est I. ad beatitudinem pertinet, ut de se, & ex propriis prædicatis satiet beatum: sed decretum Divinum, & illius cognitio est merè quid extrinsecum beatitudinis: ergò per decretum non rectè salvatur quies, & securitas beati. Maj. desumitur ex ipso conceptu beatitudinis, scilicet possessionis summi Boni, adæquantis perfectè omnem appetitum creaturæ intellectualis.

Contra est II. illa, quæ concurrunt ad beatitudinem, exigunt ex sua natura perpetuitatem: ergò & ipsa beati-

tudo. Prob. anteced. apud omnes concurrit visio tanquam essentiale prærequisitum, visio autem exigit lumen gloriæ, concurrit intellectus, voluntas, & ipse DEUS tanquam objectum: hæc autem ex sua natura exigunt perpetuitatem; visio enim est actus vitalis spiritualis, lumen purè spirituale, intellectus, & voluntas spiritualis, cùm non habeant contrarium, exigunt perpetuitatem; imò & ipse concursus Divinus, quia connaturaliter exigitur, non potest citra miraculum negari.

33 Dices I. ex dictis sequeretur, quòd beatitudo esset indestruibilis à DEO: hoc autem est contra dominium DEI, ejúsque concursum conservativum prorsus liberum: ergò beatitudo non ex sua natura est perpetua. Min. est clara; quia DEUS non potest à se abdicare dominium vel libertatem. Maj. autem illata est vera; quia DEUS non potest immutare prædicata intrinseca, sic non potest facere, ut homo non sit animal rationale, & sic de aliis. Ad hoc argumentum variè respondetur.

Theologia Salisburgensis distinguit majorem; dicendo beatitudinem *formaliter*, & *reduplicativè* spectatam esse *intrinsecè* indestruibilem, non verò materialiter, & entitativè sumptam, sic enim destrui posse à DEO. Sed cùm agatur hìc de beatitudine realiter, entitativè accepta, supra quam appellat destructio, vel indestructio, distinctio hæc formalitatum est impertinens; nam si destrueretur à DEO entitas beatitudinis, quorsum perveniret *formalitas* reduplicativa illius, quæ ab entitate non est distincta? Igitur

Respondeo aliter ad argumentum, & dico beatitudinem esse indestruibilem à DEO agente secundùm potentiam ordinariam, & juxta exigentiam intrinsecam beatitudinis, non tamen si DEUS agat extraordinariè, & absolutè, cujus instantiam habemus in Angelis, quibus natu-

turalem indeſtruibilitatem admiſimus *à num. 20.* usque ad *num. 25. prima Parte, quæſt. 3. Articulo ſecundo* incluſivè, quæ huc reduci poſſunt.

Ad illud, quod DEUS prædicata intrinſeca non poſſit immutare; reſpondeo, DEUM non poſſe immutare prædicata intrinſeca *exigitivè*, poſſe tamen exercitè exiſtentia deſtruere, & ſic poſſe hominem hìc & nunc exiſtentem cum omnibus ſuis prædicatis eſſentialibus annihilare, non poſſe tamen immutare, ut homo in ordine ad exiſtendum non exigat produci cum prædicatis *animal rationale*, aliàs non eſſet homo, ſed aliud ens. Sic eſt de Beatitudine, in qua mutare non poteſt, ut non ab intrinſeco exigat perpetuitatem, aliàs non eſſet beatitudo, quamvìs actualiter exiſtentem poſſit abſolutè deſtruere. Sed tamen

Dices II. ex Theologia Salisburgenſi: ex dictis noſtris ſequeretur, quòd de ratione beatitudinis ſit tantùm perpetuitas radicalis, & exigitivè talis: hæc autem ad beatitudinem non ſufficit: ergò reſponſio noſtra non ſolvit difficultatem. Maj. eſt noſtra, min. prob. ſi ſufficeret ſola perpetuitas exigitivè talis, S. Paulus raptus in tertium Cœlum fuiſſet perfectè beatus beatitudine exigente de ſe perpetuitatem: hoc eſt falſum: ergò non ſufficit perpetuitas exigitivè talis: requiritur ergò ad veram beatitudinem certificatio de actuali, & exercita perpetuitate. 34

Illuſtriſſimus Godoy ad ſimile argumentum ex Vasquezio hìc *quæſt. 5. num. 32.* & cum ipſo alii reſpondent. conc. Maj. nego min. ad prob. de ſancto Paulo admittunt, quòd fuerit in illo raptu beatus quoad animam, quamvìs non fuerit beatus omnî modô; quia gloria ejus non redundavit in corpus, nec fuit ipſi beatitudo conceſſa cum perpetuitate. Hæc reſponſio videtur inſufficiens I. quia non ſtat vera beatitudo ſine perpetuitate,

quam essentialiter exigit. II. Sequeretur defactò animas Sanctorum non esse perfectè beatas, cùm illorum gloria non redundet in corpus, quod non habent. Proin

Respondeo aliter concedendo Maj. in hoc sensu, quòd actualis perpetuitas non sit ita essentialis, ut non possit à DEO tolli absolutè, ita tamen se habere, ut DEus tollendo actualem perpetuitatem hoc ipso beatitudinem tollat, & sic destruatur status quæstionis. Ad instantiam de S. Paulo, nego simpliciter, quòd fuerit beatus: & quòd illa *Visio*, in qua AA. beatitudinem constituunt, vel apud nos *Amor* exegerit perpetuitatem; totum enim contigit transeunter in homine viatore; beatitudo vera est hominis in termino constituti, jam solutô moriendi debitô. Ita reverà sentire videtur S. Thomas 2. 2. *quæst. 175. art. 3. ad 2.* ubi docet de lumine gloriæ: *dupliciter participari, unô modô per modum formæ immanentis, & sic beatos facit Sanctos in patria: aliô modô* NB. *per modum cujusdam passionis transeuntis &c. & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit, & ideò ex tali visione non fuit simpliciter beatus, sed solùm secundùm quid*, & statim *ad 3.* ait: quòd, quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, *sed solum habuit actum Beatorum, consequens est, ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei, fuit tamen in eo fidei habitus.* Ex quo sequitur argumentum: vera beatitudo excludit omnem fidem tam actualem, quàm habitualem: sed beatitudo S. Pauli non excluſit omnem fidem, quia stetit cum habitu fidei: ergò non vera. Maj. mihi est de fide ex Apostolo dicente, fidem evacuari tunc, quando videbimus eum *à facie ad faciem.* His non obstantibûs

Dico II. perpetuitas non est de conceptu essentiali formali beatitudinis, sed proprietas quartô modô.

Ratio hujus petenda est ex Philosophia: non omne pertinens ad quidditatem alicujus rei est de conceptu for-

formaliter eſſentiali, ùt patet in naturalibus e.g. in homine, ad cujus quidditatem ſpectat riſibilitas, nec tamen eſt de eſſentia, & conceptu formali, nec ingreditur partem formalem *genus* vel *differentiam*, quamvìs exigatur naturaliter à principio ratiocinandi: ergò etiam de beatitudinis perpetuitate diſcurrendum eſt, & quidem in Sententia conſtituentium beatitudinem eſſcntialem in viſione ſola certum eſt, amorem non pertinere ad conceptũ formalem, quamvìs neceſſariò ſequatur: & apud nos viſio, licèt eſſentialiter præſuppoſita non ingreditur conceptum formalem eſſentialem beatitudinis conſtituentis beatum in poſſeſſione Summi Boni.

Sunt & alia, quæ beatitudinem ſequuntur, ſcilicet 35
dotes, aureolæ, & fructus animæ, aut corporis, unde S. Thomas in Supplemento *3. part. quæſt. 95. art. 1.* quærit, an ſint ponendæ aliquæ dotes in hominibus beatis? & reſolvit affirmativè: ſunt autem dotes juxta S. Thomam ibi aliqua dona, quæ beatis Divinitùs dantur ad eorum ornatum, unde ait ipſe in *Corp.* datur definitio de dote: *Dos eſt perpetuus animæ, & corporis ornatus vitæ ſufficiens, in æterna beatitudine jugiter perſeverans.* Hæc analogia dotis deſumitur à matrimonio corporali; ſicut enim in illo intervenit dos conceſſa à patre ſponſæ, dominio manente ex parte ſponſæ, ut tamen vir uſumfructum gaudeat, atque ex fructibus dotalibus teneatur ſponſæ providere de decenti ornatu, ipſámque cum liberis alere: ita DEUS Pater animæ ſanctæ (ut explicat hìc Illuſtriſſimus Reding *art. 2. num. 1.*) per gratiam naturæ Divinæ participi in dominium, & jus certa bona ſcilicet dona ſupernaturalia conceſſit, ut illis ornata tradatur Chriſto Sponſo, & ſic fiat quaſi matrimonium de præſenti, & conſumetur inter Chriſtum, & animam, dum anteà in via tantùm erant ſponſalia per gratiam de futuro juxta illud Oſeæ 2. *Sponſa-*

bo te mihi in fide, tunc autem in Patria quadrabit alterum. Apocalypſ. 21. *Vidi Civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de Cœlo à DEO, paratam ſicut Sponſam ornatam viro ſuo.* Quamvis ſimiles textus potiùs accipiendi ſint juxta interpretes de Eccleſia tanquam Sponſa Chriſti, rectè tamen etiam de animabus ùt membris Eccleſiæ applicantur. Ut docet S. Thomas *cit. loc. ad primum.*

36 Et S. Doctor in *Corp.* loquens de dote, ut ſalvet ſimilitudinem inter matrimonium corporale, & ſpirituale, adducit opinionem docentium, quòd ſimilitudo attendenda ſit in eo, quòd dos propriè dicitur donum, quod in matrimonio corporali datur ſponſæ ex parte ſponſi, quando introducitur in domum ſponſi, ad ornatum pertinens, quòd patet ex Scriptura *Geneſ. 34.* de Sichem, qui dixit Jacob, & filiis ejus: *& munera poſtulate. Unde & ornatus, qui à Chriſto exhibetur, quando introducuntur in domum gloriæ, dos nominatur.* Et quamvìs S. Thomas videatur illam opinionem rejicere tanquam contrariam Juriſtis, reipſa tamen approbat. Ecce! verba S. Thoma ibidem: *ſed hoc manifeſtè eſt contra id, quod dicunt Juriſtæ, ad quos pertinet de his tractare: dicunt enim, quod dos propriè eſt quædam datio ex parte mulieris facta his, qui ſunt ex parte viri pro onere matrimonii, quod ſuſtinet vir: ſed illud quod ſponſus dat ſponſæ vocatur datio propter nuptias.* Non tamen Juriſtas in hac materia prorſus diverſa ſequitur; ait enim; *quamvìs enim dotes* (ordinariè ſcilicet) *à parente puellæ conſueverint aſſignari, tamen quandóque contingit, quòd ſponſus, vel pater ſponſi aſſignet dotes vice patris puellæ, quod contingit in nimio affectu ad ſponſam, ſicut fuit de Sichem cit. loc. qui voluit aſſignare dotem, quam debebat accipere, propter vehementem amorem filii ſui ad puellam.* Sic etiam Chriſtus Sponſus dotat beatam animam propter charitatem in ſponſam, quam Apoſtolus vocat nimiam. Quod totum Sanctus Doct. *ad 1. cit. loc.*

ad

ad finem comprobat: *& ſic etiam in matrimonio ſpirituali ipſi ornatus, qui ſponſæ ſpirituali dantur, ſcilicet Eccleſiæ in membris ſuis, ſunt quidem ipſius ſponſi, in quantum ad ejus gloriam & honorem cedunt, ſed ſponſæ, in quantum per eas ornatur.*

Dotes animæ beatæ ſunt tres *Viſio, Comprehenſio, & Delectatio.* Viſio clara DEI correſpondet fidei in hac vita, comprehenſio ſpei, & delectatio charitati, quatenùs eſt amor, ac delectatio in amore amicitiæ ergà DEUM. Ratio primi eſt clara, quia quod modò videmus in ænigmate, ibi videbimus, ùt eſt in ſe. Ratio ſecundi eſt, quod tunc ſimus comprehenſuri, & poſſeſſuri, quod modo per ardua fidei exſpectamus. Et denique tertii ratio eſt, quia tunc uniemur ſummo Bono, ad quod in via per actus charitatis ſuſpiramus, exinde fruituri cum ſumma delectatione in omnes æternitates.

Cæterùm dos juxta S. Thomam non eſt ipſa beatitudo, ùt aliqui ſentiunt apud S. Doct. *cit. quæſt. artic. 2. in Corp.* ac ſi dos ſolùm differat ratione à beatitudine, quos rejicit S. Thomas ex eo, quòd beatitudo in operatione conſiſtat, dos autem non ſit operatio, ſed magìs qualitas, vel diſpoſitio: cùm igitur dos prima dicitur viſio, non eſt intelligenda viſio, ùt eſt operatio, ſed quatenùs juxta S. Thomam *ad 3.* eſt habitus, à quo procedit, vel alia qualitas, quam S. Thomas in ipſa gloriæ claritate, qua anima divinitùs illuſtratur juxta multos per lumen gloriæ ad videndum DEUM conſtituit. Dein concludit S. Thomas, *& ſic eſt dos principium beatitudinis.* Conformiter diſcurrendum eſt de comprehenſione, & delectatione, cúmque nos beatitudinem formalem ponamus in amore, non ipſe amor intelligendus, ſed aliquid antecedens e.g. qualitas aliqua impulſiva ad amandum, vel juxta alios habitus charitatis divinitùs ornatus, & ſic de delectatione. Hæc ad mentem S. Thomæ, qui nihil abſolutè de-

decernit, in quo dotes propriè consistant, sed disjunctivè loquitur, vel de qualitate aliqua, vel habitu aut dispositione divinitùs concessis, in quibus ornatus animæ beatæ consistit.

38 Quod Angelos, & animam Christi concernit, habent quidem apud S. Thomam *cit. quæst. art. 4.* per totum ornamenta sua, & præstantiora, quæ tamen propriè dotes non sunt: Ratio S. Doctoris est in Angelis, quòd ipsis non conveniat propriè ratio sponsi; quia ad hoc requiritur inter sponsam, & sponsum naturæ conformitas, ut scilicet sint ejusdem speciei, quæ inter Angelum, & hominem non datur. Hoc autem modo homines cum Christo conveniunt ratione naturæ humanæ assumptæ, non ita Angeli. In anima Christi obest, quòd Christus ipse sit sponsus, qui dona dat, non accipit, ídque ipsius suprema Majestas exigit: habet ergò anima Christi alios ornatus præstantissimos. Sed ne gratia Sacramentalis præsertim baptismi, aliáque dona Spiritûs S. hominibus invia communicari solita dicántur dotes, tenendum est, dotes solùm dari matrimonio perfecto, quod tale fit in Cœlo. Hæc de ornatu interno.

39 Sed quia Sponsæ Christi non tantùm convenit decor ab intra, sed etiam ornatus exterior, aliæ sunt dotes Corporis, scilicet *Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas*, & *Claritas*, in quarum explicatione omnes conveniunt. Sunt autem hæ dotes supernaturales. Fundamentum desumitur ex Apostolo *1. Corinth. cap. 15.* & ex aliis Scripturæ locis. Impassibilitas tollit corruptionem, omnem dolorem, consequenter & mortem, reddítque corpus imortale: *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem v. 53.* Subtilitas purificat corpus, & quod modò est naturale, efficit spirituale, & auffert omnem cruditatem, crassitiem, & terrenam concretionem

nem

nem juxta illud: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Agilitas exprimitur *Isaiæ cap. 4.* ubi de Sanctis dicitur: *Assument pennas, ùt aquilæ, volabunt, & non deficient.* Hæ scilicet dotes adeò leves beatos efficient ad motum localem, ut instar volucrum, aut ventorum quàm celerrimè ab uno loco in alterum transmeare possint: *tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, ait Sapiens *cap. 3.* Claritas quæ videtur esse præcipua, Sanctos efficiet splendidissima luce conspicuos, testante Scriptura *Matth. 13. tunc fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris eorum.* Atque hoc lumen non solùm exteriùs fulgebit, & superficiem tantùm afficiet, sed totum corpus ad intra pellucidum reddet, ut tota compago ossium, organizatio, arteriæ, nervi, venæ, omnia velut Chrystallo inclusa videri possint.

His dotibus accedunt aliæ propter singulares virtutum Heroicarum actus contra tres hostes animæ: & vocantur *Aureolæ*, quasi coronæ aureæ, ùt colligitur ex Glossa super illud Exodi 15. *Supra illam facies alteram coronam aureolam* dicente: *Corona aurea redditur, cum per Evangelium bis, qui mandata custodiunt, vita æterna promittitur.* S. Thomas in *cit. Supplement. quæst. 96.* tres assignat, primam Virginibus. II. Martyribus. III. Confessoribus, seu Doctoribus, & Verbi Divini Prædicatoribus ex illo, *qui alios erudiunt* ad justitiam (non simpliciter ad jura) scilicet ad perfectionem Christianam *fulgebunt sicut Stellæ in perpetuas æternitates*; quæ verò alterâ sit perfectior, secundùm diversas rationes, & pugnæ nobilitatem colligendum est. Vide S. Thomam *cit.* statim *quæst. art. 12.* ubi clarè omnia explicat, denique hoc addit: *Aureola Doctorum inter omnes est potior, quia hujusmodi pugna versatur circa intelligibilia, aliæ verò pugnæ circa sensibiles passiones.* Scripsit præclarissimè de aureolis in Thesibus Menstruis Clarissimus Collega P. Benedictus Schmier, optimè de nostra Universitate meritus.

QUÆSTIO II.

De Libertate Actûs Humani.

SAnctus Thomas de hac materia agit *quæst. 13. artic. 6.* postquàm de electione tractavit, & pro coronide anteà dictorum quærit, utrùm homo ex necessitate eligat, an liberè? & resolvit affirmativè per totum. Videtúrque necessariò ita concludendum esse; nec enim esset propriè electio, nisi esset libera, séque ad plura extenderet, quæ ad electionem requiruntur; debet enim voluntas posse eligere, aut electionem omittere circa ea, quæ sunt ad finem ejus acquirendum. Discutimus igitur in hac Quæstione de iis mediis, quibus homo pervenit ad finem suum, vel ab eodem impeditur.

ARTICULUS I.

In quo consistat libertas.

41 DAri in homine liberum arbitrium, est de fide ex Trident. *Sess. 8. cap. 5. & Can. &c.* contra Lutherum, Calvinum, aliósque Hæreticos. Primus quidem, ùt aliàs erat inconstantis animi, ita in hac re: modò negavit libertatem, subinde eandem asseruit; dum enim anteà universim docuisset, liberum arbitrium esse figmentum, nomen sine re, eò quòd nullius sit, quidpiam cogitare boni, sed omnia de necessitate evenire, posteà *lib. de visitatione Saxoniæ tit. de lib. arbitrio* apud Illustrissimum Redingum nostrum hic Controversia I. apertè profitetur: *multi indiscretè loquuntur de libero arbitrio, idcirco hanc brevem informationem adscripsimus: homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum, vel omittendum opera externa per le-*

leges, & pœnas adactus. Quapropter potest, & sæcularem probitatem, & bona opera facere ex propria virtute à DEO data, & ad hæc obtenta. Videri posset Dominus Martinus catholicè sensisse, & scripsisse, nisi timore adactus scribere debuisset, quæ noluit; si enim omnes actus præsertim externos, de quibus præcipuè loquitur, necessariò semper evenisse docuisset, provocâsset contra se Principum, præsertim Friderici Ducis Saxoniæ indignationem, & contemptum. Quomodò enim Princeps rebelles justè puniret, qui ad seditionem, actúsque omnes necessitate fuerant compulsi? sed hîs relictîs, ut magìs natura libertatis appareat,

Dividitur necessitas in illam, quæ vocatur *servitutis*, 42 à qua servitute nos liberavit Christus juxta illud Joan. 8. *Omnis qui facit peccatum, est servus peccati*, & in libertatem filiorum DEI omnes asseruit. II. Necessitas est *coactionis*, quæ provenit ab extrinseco per vim, & violentiam adversam voluntati. III. Est simpliciter *necessitas specificè* talis, per quam tollitur libertas, indifferentia, & potestas ad opposita, non tamen est coactio e.g. in Beatitudine voluntas ex necessitate amat DEUM, non tamen ex coactione, quia amor ille non est adversus voluntati, nec tamen est liber.

Libertas igitur juxta Catholicorum Sententiam in SS. PP. fundatam, est, vi cujus unusquisque potest facere, quod vult, sive bonum, sive malum, éstque hæc omnino conformis S. Thomæ. Hinc *cit. art. in Corp.* hoc fundamentum, cur voluntas non ex necessitate eligat, ponit: *quod possibile est non esse, non necesse est esse.* Sed voluntas eligit aliquid, quod possîbile est, non eligi: ergò quod eligit, non necesse est, eligi. Ulteriorem libertatis explicationem subdit ex duplici potestate hominis: potest enim homo velle, & non velle, agere & non agere: potest

etiam velle hoc, aut illud. Ex quo, & aliis ibidem dictis argumentum est: nullum bonum sub indifferentia propositum, & sic particulare, homo necessariò eligit: ergò liberè; nam hoc ipso, quòd proponatur indifferenter, non proponitur sub ratione boni simpliciter talis, quod solùm libertatem evertit, unde S. Thomas ibi circa medium ait: *In omnibus particularibus bonis potest homo considerare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali, & secundùm hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere, ùt eligibile, vel fugibile.* Aliter autem discurrit in bono perfecto beatitudinis, quod propter plenitudinem juxta sæpiùs dicta non potest non *differenter* proponi.

43 Dico I. Secundùm communem Thomistarum libertas consistit in indifferentia judicii, ita, ut potentia omnibûs ad operandum requisitîs ex parte actûs primi possit agere, aut non agere, vel etiam contrarium. Conclusio est deducta ex doctrina S. Thomæ.

Ratio patet ex dictis; nam quod ratione judicii indifferentis possibile est non esse, est liberum voluntati, sequi, aut non sequi: sed hoc ipso, quòd objectum proponatur indifferenter, & sub ratione boni, & sub ratione defectûs alicujus boni, judicium rationis est indifferens: ergò ratione illius liberum est voluntati, sequi, aut non sequi. Discursus quoad substantiam est verus, quamvis exactam formam non habeat ratione brevitatis, quâ opus est.

44 Cæterùm pro rejicienda integrè Lutheri, Calvini, & aliorum Sententia de libero arbitrio, tanquam post peccatum originale extincto, tenenda est firmiter declaratio, & definitio Trident. *Sess. 6. Can. 5.* dicentis: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse*

esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Sathana invectum in Ecclesia: anathema sit.

Et hæc omnia desumpta sunt ex S. Scriptura, ubi DEUS ipse libertatem homini, etiam post originale asseruit; dum enim Cain iratus esset, quòd Dominus ad munera ejus non respexerit, dixit ad eum: *quare iratus es, & concidit facies tua? nónne si benè egeris, recipies, sin autem, statim in foribus aderit peccatum: sed* NB. *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Genes. 4. v. 6. & 7. Ecclesiastici 15. v. 14.* Spiritus Sanctus ait: *DEUS ab initio constituit hominem, & relinquit illum in manu Consilii sui*, & ibidem v. 17. *Apposui tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam.* Et alibi passim Scriptura; ad quam eleganter more suo alludit S. Augustinus in *Psalm. 91.* dicens: *Aures tuæ positæ sunt inter monentem DEUM, & suggerentem serpentem, non cessat Sathanas suadere malum: sed nec DEus cessat suadere bonum: Sathanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, & non consentire.* Hæc, & alia innumera excutiunt figmenta hæreticorum: si enim homo, ùt Lutherus, & Calvinus docuit, est merum instrumentum DEI, quod ad bonum, & malum necessitate compellitur, quomodò appetitus sub illo est? quomodò relictus est in manu consilii sui? vel quomodò liberè manum porrigit ad aquam, & non potiùs ad ignem?

Notant communiter Thomistæ circa libertatem in45 indifferentia fundatam, quòd indifferentia contrarietatis, scilicet agendi hoc, vel illud, bonum, aut malum, positivè tale, non requiratur ad essentiam liberi arbitrii. Ratio hujus est, quòd sine hac indifferentia concipi, & esse possit liberum arbitrium, consequenter essentialis non sit. Exemplum hujus est e. g. ubi unicum in mensa ferculum apponitur, circa quod non datur electio alterius, quia nullum adest præter unum, & sic cessat indifferentia

contrarietatis, datur tamen contradictionis, quia potes edere, vel non; & hæc indifferentia scilicet contradictionis pro essentiali habetur, eò quòd sine hac nec concipi, nec esse possit liberum arbitrium, quod petit vim electivam, & potestatem in proprios actus ut eos ponere possit vel non. Atque hæc opinio etiam probatur Recentioribus, éstque vera, quòd ad libertatem sufficiat explicata indifferentia, quamvis plerúmque etiam detur illa contrarietatis, quæ etiam positiva dicitur, quatenùs est capacitas voluntatis ad unum ex multis eligendum, cui opponitur indifferentia negativa, quæ est privatio, vel negatio omnis determinationis; est enim animi suspensio, ignorantis, quid agere debeat.

46 Objicies ex Apostolo ad *Roman. 7. v. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago:* ergò homo non habet potestatem agendi, quod vult. Ex hoc loco venenum hausit Lutherus, ut probaret observantiam sexti Præcepti esse impossibilem, utì & hodie ejusdem sequaces passim tenent.

Ad hunc textum Eckhius insignis Theologus, & Lutheri hostis acerrimus respondet fermè sic explicans Apostolum, ac si diceret: non quod volo bonum *mente*, hoc ago *carne*, sed quod nolo malum *mente*, hoc ago *carne:* nam volo non concupiscere, id est, concupiscentiæ motibus non jactari, sed id non assequor. Consentit explicatio S. August. *lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. facere se dixit Apostolus, & operari non effectu consentiendi, & implendi, sed ipso motu concupiscendi.* Hoc non est facere malum, non est peccare; nec enim tales motus sunt in nostra potestate, sed consentire, implere, est peccatum, quod non fecit Apostolus, & hoc ipsus explicat *Rom. 6. v. 12. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,* NB. *ut obediatis concupiscentiis ejus.* Obedire est peccatum:

dum

dum ergò motus illos vocat subinde *peccatum*, intelligendus est vel relativè ad originale, à quo proveniunt, vel quòd occasionem præbeant sæpè peccandi consentiendo, & sic quasi peccatum radicale dici possunt. Et in hoc sensu Apostolum explicavit Tridentinum *Sess. 5.* in Decreto de peccato originali ad finem: *hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis sit, sed quia ex peccato est* (scilicet originali) *& ad peccatum inclinat.*

Hæc & similia reducuntur ad necessitatem servitutis, provenientem ex corrupta per originale natura, à qua gratia Christi nos liberat: unde cùm Paulus rogâsset, ut Dominus aufferret stimulum carnis, responsum est illi: *Sufficit tibi gratia mea.* Sed

Dices ex eodem Apostolo *Rom. 9. vers. 16.* dicente: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI:* sed si non volentis e.g. bonum operari, actus meritorios exercere, homo non est liber, nec ipsi aliquid debetur ratione liberæ voluntatis, sed totum DEO: ergò homo tam ad bonum, quàm ad malum necessitatur.

Respondeo ad textum Apostoli ex ipso S. Thoma *1. part. quæst. 83. art. 1. ad 2. Verbum illud Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit, & non currat liberô arbitriô, sed quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur, & juvetur à DEO.* Estque doctrina verè Catholica, quòd nihil boni supernaturalis, nihil meriti ad gloriam operari possimus sine gratia Christi: ideóque in forma distinguendus est textus, *non est volentis* solius concedo, adjuti per gratiam nego. De cætero locum Apostoli citatus Eckhius in Cajetano intelligit de Prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita, ubi verum esse ait, non esse volentis, neque currentis, sed solius miserentis DEI,

unum

unum præ altero eligentis ad gloriam. Est hæc aliàs doctrina clarissima Apostoli, Augustini, Thomæ, & aliorum Patrum Antiquiorum contra Juniores scientiæ mediæ Theologistas. Occasione hujus sit

ARTICULUS II.

Quid sentiendum sit de præmotione juxta mentem S. Thomæ.

48 CUm liberum arbitrium sit viventium, viventibus autem conveniat motus ab intrinseco, ut se ipsa moveant, aut necessariò, aut liberè, prout necessaria, aut libera fuerint, difficultas emersit, an motus e.g. voluntatis sese liberè determinantis excludat omne aliud movens superius? Thomistæ negant, asserunt Recentiores, ajúntque sufficere, quòd creatura habeat à DEO liberum arbitrium, ut possit se ipsam determinare, DEO solùm quoad operationem, & effectum simultaneè concurrente, quamvìs hodie non pauci ex illis motionem quandam moralem admittant. Thomistæ antiquitate doctrinæ, Suffragio S. Augustini, & Doctoris Angelici suffulti constanter defendunt, etiam libera à DEO moveri, consequenter quamvìs motus liberi arbitrii sit ab intrinseco se ipsum moventis, & excludat omne aliud agens creatum extrinsecum, non tamen agens, & movens increatum: & juxta illos motio agentis increati est prior saltem naturâ motione agentis secundi. Appellant illam *præmotionem*, seu *prædeterminationem*, in quo conveniunt omnes, in eo tamen discordes, an præmotio consistat in qualitate à DEO transeunter impressa, ùt multi tenent; num verò in decreto Divino formaliter immanente, & virtualiter transeunte, ùt non pauci defendunt, quibus quia in Philosophia accessi, nec ab illis modò recedo,

cedo, quia non videtur neceſſaria illa qualitas, Decreto id ipſum præſtante.

Ante reſolutionem adhuc ſupponendum eſt ex Phi- 49
loſophia ſecundùm doctrinam Ariſtoteliçam, & S. Thomæ, quòd quidquid movetur, moveatur ab alio, & cùm non detur proceſſus in infinitum, denique veniendum eſt ad id, quod primò movet, nec movetur ab altero, quod Philoſophus *lib.7. & 8. Phyſicorum* oſtendit, demum *lib.8. lectione 8.* (alii vocant caput) poſt initium ita expreſſit: *Si igitur omne, quod movetur, ab aliquo moveri neceſſe eſt, & aut ab eo, quod movetur ab alio, & ſi ab eo movetur, quod ab alio motu cietur,* NB. *movens aliquod eſſe primum, quod non ab alio moveatur, neceſſe eſt; ſi verò tale eſt primum, non neceſſe eſt alterum eſſe; fieri enim non poteſt, ut in infinitum proficiſcatur id, quod movet, atque movetur ab alio, quippe cùm infinitorum non nihil ſit primum.* Ex quibus, quantùm exiſtimo, ſatìs apparet, Philoſophum agnoviſſe ens entium, quod nec ab alio ſit, nec ab alio moveatur; quod ex ultimis verbis conſtat, quibus ſuum diſcurſum concludit ſic: *Si igitur ùt diximus, omne quidem, quod movetur, ab aliquo motu cietur, id verò, quod primum movet, movetur quidem, at non ab alio: ipſum profectò primum à ſe ipſo moveatur neceſſe eſt.* His omnibus conſentit S. Thomas in *Comment. cit. Lect.* quam materiam, cum in Phyſica latè deduxerim in ordine ad motum huc transfero; nec enim aliter modò explicarem, quam ibi, hoc ſolùm advertendum eſt, quòd ſicut in naturalibus quoad hoc procedimus, ita proportionaliter in moralibus, & ſupernaturalibus, ſolo ſtatuum diſcrimine obſervato; ſicut enim DEUS eſt motor primus, & cauſa prima in naturalibus, ita in aliis, quia eſt fons omnis entis, & perfectionis. Hinc

Dico: datur juxta S. Thomam præmotio ad actus 50
liberos, nec obeſt libertati.

Prob. I. Omnis motus secundus essentialiter dependet à motu primo: ergò DEUS movet prævièe omne agens ad agendum. Anteced. interim suppono, consequentia probatur. Si motus creatus essentialiter à motu primo dependet, motus primus erit necessariò prior, & secundus posterior: hoc autem admisso necessariò DEUS movet prævièe: ergò si motus secundus essentialiter dependet à primo, DEUS prævièe movet. Maj. declaratur; nam ubi datur essentialis dependentia, & suppositio unius ad alterum, datur etiam prioritas: sed sic est in motu primo, & secundo: ergò primus erit prior. Maj. est clara, min. prob. non potest intelligi motus secundus, non intellecto priùs motu primo; secus enim ille non esset secundus: ergò inter motum secundum, & primum necessariò datur prioritas, per hunc autem intelligimus præmotionem.

Prob. II. & anteced. anteà suppositum: omne ens creatum, est participatum, & essentialiter dependet, ac immediatè ab ente increato: ergò etiam omnis motus secundus essentialiter, & immediatè dependet à motu primo. Antec. est omnium post rejectum Durandum, consequentia prob. non minùs creatura quoad motum dependet à movente primo, quàm quoad esse à causa prima, vel debet assignari disparitas, qualis non apparet; DEUS enim non minùs per essentiam est movens primum, quàm causa prima: ergò si in uno genere creatura ab eo imediatè dependet, etiam dependebit in altero.

51 Dices: hæc dependentia salvatur per concursum simultaneum: ergò non requiritur prævius, prob. antec. ad dependentiam essentialem sufficit, quòd ens dependeat in genere causæ à DEO, eique suum esse debeat: sed hoc habetur per solum concursum simultaneum: ergò per illum dependentia salvatur. Si verò habetur dependentia en-

entis creati à DEO in eſſe cauſæ per ſolum concurſum: ergò etiam in ratione moti habebitur per commotum ſimultaneum, quo DEUS ſimul creaturam, & creatura ſe ipſam movet, ſicut ſimul concurrunt ad eſſe effectus. Sed

Contra eſt; nam falſum eſt antec. quoad motum, hinc Syllogismus adjunctus, & cætera cum paritate ad motum non ſunt ad rem; nam diſparitas eſt, quòd DEus per concurſum ſimultaneum ſit verè prior operatione cauſæ ſecundæ, ejúsque effectu, ſícque ſalvetur eſſentialis dependentia effectûs ſecundi à cauſa prima: at non in eſſe moti, niſi DEUS motum cauſæ ſecundæ præveniat. Proin

Confirmatur argumentum I. ad hoc ut effectus qualiscunque dicatur dependere à cauſa prima, debet illa intelligi ùt prior effectu: ergò etiam ut movens ſecundum intelligatur dependere à movente primo, debet illud intelligi, ùt prius: ſed per commotum non poteſt intelligi ùt prius: ergò comotus ille non ſalvat dependentiam. Et ratio ulterior eſt, quòd concurſus ſimultaneus non reſpiciat cauſam, ſed ejus effectum: at verò motus primi moventis reſpicit ipſam cauſam ſecundam ùt movendam: ergò ſicut concurſus eſt prior effectu, quem reſpicit; ita motus primi moventis eſt prior motu cauſæ ſecundæ, & quatenùs motæ; nec enim eſſet mota, niſi pro priori moveretur à primo.

Confirmatur II. Per concurſum ſimultaneum, quatenus cum creatura concurrit ad operationem, & effectum quemcunque intra ſphæram activitatis DEI, non habetur ulla prioritas reſpectu DEI, & creaturæ: ergò vi illius non poteſt DEUS dici primus motor. Antec. prob. quia concurſus ſimultaneus aliud non vult, quàm ſimultaneum cauſæ primæ, & ſecundæ influxum in effectum:

sed iste simultaneus influxus, ùt talis, & quà simultaneus non arguit ullam prioritatem, vel ex uno, vel ex altero: ergò vi illius non habetur prioritas respectu DEI, & creaturæ. Dein non est ratio dicendi, quarè potiùs hæc causa determinet alteram, & sic cur DEUS potiùs creaturam, quàm creatura DEUM, ut simul concurrant; cùm neutrius influxus alterum præveniat: ergò statuendum est aliud, per quod salvetur prioritas DEI ad causam secundam: sed aliud non est, quàm motio prævia: ergò illa requiritur ad salvandam prioritatem moventis primi.

73 Dices: motus causæ secundæ est ipsa ejusdem operatio: sed DEUS est prior operatione causæ secundæ per concursum simultaneum: ergò & ipsius motu: sed si prior est ipso motu, erit etiam ipsâ causâ motâ prior; quia aliud non est, quàm causa constituta sub motu.

Respondeo concedendo totum discursum, nego subsumptum; nam ùt dixi, concursus respicit effectum, non ipsam causam; & hinc concursus non facit, ut causa secunda exeat in motum: sed hoc præstat motio prævia, quæ pro priori debet causam secundam in actum, & motum reducere, ad quem subinde simultaneè concurrit: causa enim secunda non movet se ipsam, nisi ùt mota à prima, secus esset primum movens, quod præjudicat motori primo, qui sibi motus secundos subjicit. Ex quo

Confirmatur III. Concursus simultaneus non perfectè, omníque modo creaturam subjicit: ergò est insufficiens ad faciendam plenam dependentiam causæ secundæ. Antec. prob. stante concursu simultaneo adhuc verum est, causam secundam se ipsam movere immediatè: ergò quoad exercitium motûs non subjiceretur DEO immediatè: sed hoc est contra rationem primi moventis,

tis,

tis, & ſecundi: ergò concurſus ſimultaneus creaturam plenè non ſubjicit.

Dices: Hoc eſſe de ratione cauſæ liberæ ſe ipſam movere, ſéque in actum reducere; ſecùs tolleretur libertas.

Contra eſt: ipſa potentia libera, ut ſit talis, habet hoc ex immediata participatione à cauſa prima libera: ergò etiam exercitium libertatis ejusdem eſt tale per immediatam participationem à cauſa prima libera. Et ſicut illa immediatè fluit ex fonte libertatis, ita ejusdem exercitium; cùm DEUS movendo prævièe non tollat, ſed cauſet libertatem; facit enim, ut cauſa libera agat liberè, dum eam ad actionem movet, ac determinat; aliàs certè ſine hoc prævio influxu non videtur ſalvari poſſe dignitas motoris primi, & univerſalis, ad quem Ariſtoteles à motibus inferioribus aſcendit, indéque probavit, dari ens entium, & motorem movemtem omnia, ùt ex ejusdem verbis ſuprà adductis patet.

Confirmatur ulteriùs: Si DEUS prævièe non moveret cauſam ſecundam ad operandum, non ex certa ſcientia, ſed potiùs caſu, vel à cauſa ſecunda determinatus concurreret ad operationem: ſed hoc eſt contra rationem primi, & Sapientiſſimi moventis: ergò prævièe movet cauſam ſecundam ad agendum. Declaratur ſequela Maj. nam in Sententia altera verum eſt dicere: non ideò cauſa ſecunda eſt operatura, quia DEUS præſcivit, ſed potiùs à contrario, ideò DEUS præſcivit, quia cauſa ſecunda eſt operatura, ex quo ſic: quando DEUS ſtante hac Sententia non poteſt ſcire certò, & infallibiliter, quando creatura ſit operatura, tunc ad ejus operationem caſu, vel à cauſa ſecunda determinatus concurrit: ſed ſtante illa Sententia DEUS certè non poteſt ſcire: ergò caſu, vel à cauſa ſecunda determinatus concurreret. Maj. vi-

detur clara; quia concursus creaturæ potiùs peteret concursum DEI, vel DEUS fortuitò concurreret, cùm aliud determinativum non sit. Prob. min. ubi non datur medium infallibile sciendi, non potest DEUS certò scire creaturam operaturam: sed stante illa Sententia non datur medium infallibile: ergò non potest DEUS certò scire creaturam operaturam.

ARTICULUS III.

Respondetur ad Objectiones.

54 OBjicitur I. Liberum arbitrium est potestas se ipsum determinandi: ergò excludit præmotionem physicam. Prob. consequentia, quod movetur, & prævièdeterminatur ab alio, non potest se ipsum movere: sed data præmotione liberum arbitrium movetur, & prævièdeterminatur à DEO: ergò non potest se ipsum amplius movere. Maj. patet in causis necessariis, quæ hoc ipso, quod sint determinatæ, se ipsas nunquam determinant, & aliàs motus proveniens ab extrinseco non est vitalis, cùm essentialiter petat fieri à principio intrinseco: ergò etiam actus non amplius erit liber, si proveniat à principio extrinseco determinante; cùm essentialiter petat fieri à principio indeterminato extrinsecùs, scilicet se ipsum determinante.

Respondent communiter Thomistæ conc. antec. negando consequentiam; ad prob. dist. Maj. quod movetur ab alio prævièdeterminatur &c. non potest se ipsum movere primò, & causaliter conc. Maj. secundò, & formaliter negant Maj. & dist. min. liberum arbitrium movetur causaliter, & primò. conced. min. formaliter negant min. & consequentiam. Nam stat benè, liberum arbitrium excitari causaliter prævièdeterminatur à DEO, & se ipsum determinare formaliter,

liter, scilicet per actum, dependenter tamen à causa prima, & movente primo, à quo essentialiter dependet. Instantiæ non sunt ad rem; nam causæ necessariæ aliunde quoad specificationem à natura sunt determinatæ, scilicet ignis ad urendum &c. quoad exercitium autem determinantur iterum ab extrinseco, éstque hæc essentialis utriusque differentia scilicet agentis liberi, & necessarii, ut illud seipsum dependenter tamen à movente primo determinet, hoc verô non. Nec altera de actu vitali quid probat; quia nec ille in esse vitalitatis excludit determinationem extrinseci, modò proveniat à principio aliàs extrinseco & vivente, ùt patet in brutis, quæ à natura moventur ad actus vitales. Hinc potiùs est pro nobis: nam actus vitalis semper est vitalis, si procedit à principio vitali, licèt admittat determinationem extrinseci: ergò actus semper erit liber, modò procedat à principio intrinseco libero, nec excludit determinans causale extrinsecum, quod est fons, & causa libertatis.

Objicitur II. & urgentur superiora: determinatio illa formalis non est libera: ergò non sufficit ad salvandam libertatem. Prob. antec. quod infallibiliter, & impedibiliter sequitur ad determinationem alterius, non potest esse liberum: sed determinatio formalis infallibiliter sequitur ad determinationem alterius: ergò non potest esse libera. Major. probatur: quando voluntas non amplius habet dominium super determinationem suam formalem, tunc illa non potest amplius esse libera: sed voluntas non habet amplius dominium super determinationem formalem: ergò non est amplius libera. Prob. min. in tantum haberet dominium determinationis suæ, in quantum posset illam ponere, vel non ponere: sed stante præmotione non potest illam ponere, vel non ponere: ergò non habet amplius dominium, consequenter 55

ter non est libera. Hoc est re ipsa argumentum, quo premuntur Thomistæ, & licèt sub diversis mediis urgeri posset, in idem tamen recidunt. Hinc

56 Respondeo negando antec. ad prob. nego Maj. respectivè ad determinationem primi moventis. Ad prob. concedo Maj. nego min. ad alteram probationem transeat Maj. juxta distinctionem, quam communiter sic dant. Stante præmotione non potest illam non ponere in sensu composito, conc. min. in sensu diviso, nego min. & sub hac distinctione, conc. & nego consequentiam. Volunt Thomistæ dicere, quòd quidem voluntas non habeat dominium tale super determinationem suam, ut possit illam componere cum negatione determinationis; nec etiam cum negatione præmotionis, sed seorsim; habet enim potentiam non ponendi, sed non in consortio determinationis propriæ, & determinationis causalis: ita ut tò ponendi appellet supra negationem actûs exercitam; nam etiam dum actu subsstat determinationi, habet potentiam ad ejus negationem, licèt non hìc & nunc, & pro sensu composito exercendam; sicut v.g. Petrus, dum sedet, habet actu potentiam non sedendi, non tamen ita ut possit hìc & nunc, dum actu sedet, negationem sessionis cum sessione componere; hoc enim esset implicatorium in terminis.

57 Jam tota controversia est in hoc, meô judiciô, quidquid sit de aliis, an DEUS moveat me ita liberè, sicut ego me ipsum moverem præscindendo etiam per impossibile ab omni causa prima, & motore alio. Sit ergò per hypothesin Petrus sibi soli relictus: ego autem substo causæ primæ, & ejus motioni. Jam moveat se Petrus, & eliciat pro instanti *A* actum charitatis sine motione prævia alterius, utique Petrus liberè se movet; quia suppono quòd sibi proponat objectum indifferenter, scilicet

ra-

rationes pro- & contra, quarum dein objectivè una movetur, alterâ neglectâ: & consequenter activè se ipsum determinat ad hoc potiùs amplectendum, quàm aliud, in quo nihil video, quod contra libertatem opponi possit.

Ponamus & alterum casum: ego versor indifferen- 58
ter circa objectum amoris, vel ejus negationem. Objectum indifferenter proponitur per rationes pro- & contra; jam moveor à primo movente ad amorem potiùs, & ideò amo, & Petrus etiam amat, neuter tamen in sensu composito potest non amare, sed necessitate consequentiæ, necessariò amat, nos utique, quia non possumus negationem amoris cum amore componere, licèt habeamus utérque potentiam ad negationem, etiamdum substamus amori, sed divisim ponendam, non cum amore, quod notatum velim: tota ergò differentia in hoc est, quòd Petrus se solo posuerit amorem, ego autem ad motum primi motoris; jam quæritur, utrùm DEUS non possit me ita movere, quin noceat libertati, consequenter ponam determinationem meam formalem liberè, sicut Petrus posuit suam? ita quidem existimat sine dubio S. Thomas; nam liberum arbitrium debet quidem se ipsum movere, sed non debet esse primum movens, ùt ille loquitur *1. part. quæst. 83. art. 1. ad 3.* ubi sibi re ipsa hanc objectionem facit, dicens: liberum est, quod sine causa est, ùt dicitur *1. Metaph.* quod ergò movetur ab alio, non est liberum: sed DEUS movet voluntatem. Ad quod respondet sic: *Ad tertium dicendum, quòd liberum arbitrium est causa sui motûs; quia homo per liberum arbitrium se ipsum mõvet ad agendum; non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id, quod liberum est, sicut nec ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus: DEUS igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias, non auffert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed*

potiùs hoc in eis facit: operatur enim in uno quoque secundùm ejus proprietatem. Et in responsione ad secundum ait: *Liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur & juvetur à DEO.* Qui textus dignus notari est, ex quo hoc deduco: Petrus se ipsum determinans præscindendo ab omni alio se liberè determinat: ergò etiam ego me determinans dependenter à primo determinante me liberè determino. Consequentia prob. primum determinans non auffert meam libertatem, sed potiùs eam causat, ídque reipsa facit, quod ego facerem: ergò sicut Petrus se liberè determinat, ita & ego me liberè determino, licèt determinatus à DEO causaliter, qui hoc ipsum facit, ut ego me liberè determinem formaliter; sicut ergò in primo non infertur necessitas, nisi consequentiæ & ex suppositione, ita in posteriori. Sed

59 Objicit III. Et insurgit graviter Martinez de Ripalda: liberum agens, quatenùs tale est, suppositîs ad agendum requisitîs potest agere in sensu composito; ergò & non agere. Patet consequentia tum ex indifferentia liberi arbitrii, tum ex communi DD. consensu, juxta quos potest liberum agere, & non agere, ex quo sic argumentatur: agere in sensu composito, est posse componere actionem cum prædeterminatione physica, quæ apud nos est unum requisitum ad agendum: Similiter non posse agere in sensu composito, est posse componere non actionem cum eadem physica prædeterminatione: atqui posita prædeterminatione physica liberum arbitrium non potest ponere negationem actionis: ergò posita physica prædeterminatione liberum arbitrium non potest agere, & non agere, quod est destruere libertatem.

Ad hoc argumentum applicat responsionem Magistri Gonet insignis Thomistæ Dominicani, qui distinguit

ore

ore Thomistico, & addit, quòd in casu antecedentis agens in sensu composito non debeat dici posse agere, & non agere, cùm sit in actuali exercitio actionis, quod potest declarari exemplô: nam hic ipse Author, dum exercitè hæc scripsit, ad hanc scriptionem non fuit ampliùs in potentia & indifferens, sed in actu.

Respondeo, antecedens primum esse chymericum; 60
nam in sensu composito agere est actionem componere cum potentia, quæ actio jam intelligitur posita, ad quam utique juxta dicta non est ampliùs in potentia, vel si habeat hunc sensum, potest agere in sensu composito, id est, actionem exercere, vel non, tunc Enthymema est verum. Ad prob. min. nego quòd semper usurpetur *ly posse*, sensus enim compositus innuit actuale exercitium alterius utrius, sed tamen

Respondeo: transeat primum membrum, nego secundum; nec enim præmotio datur ad non agendum; sed potiùs negatur; hoc ipso enim, quòd non movear, non ago, hinc concedo min. nego consequentiam. Quod verò Adversarius putet cum præmotione stare posse negationem actûs, negant omnes Thomistæ in sensu composito. Nam data præmotione, datur infallibiliter actus: interim retorqueo argumentum: posse agere in sensu composito est posse componere actionem cum potentia: sed posita actione non potest potentia ponere ejus negationem, seu eam componere cum actione: ergò posita actione non potest potentia libera agere, & non agere, quod est contra libertatem: sicut ergò apud ipsum potentia est libera sub actuali exercitio, quia se liberè ad illud reduxit; ita apud Thomistas; quia causaliter à DEO mota liberè se ad operationem reduxit.

Urgetur: Supposita semel præmotione potentia 61
non ampliùs habet in potestate actum suum; ergò non

est libera. Prob. antec. si haberet in potestate actum suum, haberet etiam necessariò requisitum ad hunc, scilicet præmotionem: sed hanc non habet in potestate, quia pro libitu suo eam attrahere non potest, nec eandem rejicere: ergò non habet in potestate actum suum.

Confirmatur. Præmotio tenet se ex parte actûs primi: ergò sine præmotione potentia non est constituta in actu primo proximo ad actum secundum: stante verò præmotione non habet potentiam ad non agendum; quæ omnia sunt absurda. Antecedens prob. præmotio est complementum actûs primi, hoc ipso quòd creatura sine illa non possit in actum exire: ergò se tenet ex parte actûs primi. Probatur suppositum antec. ad id, quod implicat, non datur potentia: sed actus sine præmotione implicat: ergò non datur potentia ad actum sine præmotione, consequenter est illa complementum actûs primi. Item stante præmotione ad actum implicat ejusdem negatio: ergò stante præmotione non potest potentia non agere, saltem proximè.

Respondeo ad argumentum negando antec. ad prob. nego Maj. & suppositum, quòd præmotio requiratur ad *posse*, seu ad actum primum. Dein ad causam secundam, quæ essentialiter dependet à primo libero, eique subordinatur non requiritur ut habeat omnia requisita ex parte actûs secundi; hoc enim est solius causæ primæ, & supremæ libertatis, non participatæ. Nam ùt ipse Pererius Recentior, & ex illo P. Piny eruditè discurrit: non intelligendum est, voluntatem creatam esse ita, & taliter liberam, ut à nullo dependeat, & omnia habeat in suo dominio, & potestate; hac enim libertate solum DEUM liberum dicimus, qui à nullo dependet, nullius indiget, nec ulli subjectus est; econtra libertas nostra necessariam, & inseparabiliter adjunctam habet dependentiam à DEO

tam

tam in essendo, quàm operando; quarè non potest habere dominium supra omnia, quæ requiruntur ad actum, aliàs etiam haberet super ea, à quibus essentialiter dependet: & certè si voluntas super ipsam præmotionem haberet dominium, potiùs DEUM sibi subjiceret. Nec posset DEUS eandem voluntati humanæ subjicere, nisi hoc ipso abdicaret à se supremum dominium: super illa ergò requisita debet haberet libertas dominium, quæ ipsam à motione causæ primæ non eximunt.

Ad Confirmationem nego antec. ad prob. nego ite- 62
rum antec. & causalem, ad probat. alteram dico, terminos esse æquivocos; nam semel dicitur, non dari potentiam ad actum sine præmotione, quod falsum est: dein dicitur: non dari potentiam ad actum sine præmotione ponendum, quod verum est: nemo enim dicit, dari potentiam ad actum ponendum sine præmotione; talis enim actus esset independens à DEO, & Chymericus: sed hoc asserimus, dari potentiam ad actum, ita, ut præmotio non constituat potentiam, sed hæc aliunde supponatur. Hinc prorsus hæc diversa sunt: sine præmotione datur potentia ad actum, id est, præmotio non requiritur ad posse, & actum primum: item datur potentia ad actum sine præmotione ponendum, hoc est, quod negamus. Quod manifestum est in concursu simultaneo exercitè tali, nam in eadem forma retorqueo: ad id, quod implicat, non datur potentia; sed actus sine concursu actuali DEI implicat: ergò non datur potentia ad actum sine concursu actuali, consequenter concursus est complementum actûs primi. Maj. est AA. min. patet in omnium principiis de concursu imediato DEI, aliàs daretur quoddam ens immediatè non dependens à DEO. Consequentiam autem, & illatum negant AA. ita & nos; dicimus ergò præmotionem se tenere ex parte actûs secun-

di, qui ab ea essentialiter dependet; præmotio enim est quasi causale complementum, causæ creatæ in actu secundo constitutæ; hinc quando semper assumunt AA. quòd sine præmotione aliquod necessariò requisitum desit, distinguo: ex parte actûs secundi, non autem primi. Item

63 Si urgent: agens liberum debet posse componere non actionem cum requisitis ad agendum: sed præmotio est requisitum ad agendum: ergò agens liberum debet posse componere præmotionem cum non actione ad agendum. Respondeo cum requisitis ad agendum ex parte actûs primi, qualia sunt indifferentia objectiva, concedo, cum requisitis ex parte actus secundi, nego; & tale requisitum est præmotio.

Ad id, quod additur, respondeo concedo antec. ùt jacet, & distinguo consequens: ergò non potest potentia non agere in sensu composito conc. in sensu diviso nego consequens, & consequentiam, haud dubiè, cùm data præmotione hoc ipso pro eodem instanti detur operatio, non potest potentia non actionem cum actione componere, habet tamen adhuc potentiam non agendi pro sensu diviso. Ecce! hoc debetis etiam in concursu solvere; stante concursu actuali tam ex parte DEI, quàm ex parte creaturæ ad actum, implicat ejus negatio: ergò stante concursu actuali tam ex parte DEI, quàm ex parte creaturæ ad actum, implicat ejus negatio: ergò stante concursu utriusque, non potest potentia non agere.

Dices esse latam disparitatem; quia creatura se ultrò, & liberè reduxit in actum, cum quo stare non potest ejus negatio. Sed dicam & ego: DEUS liberè causaliter, & creatura liberè formaliter posuit actum cum quo non stat ejus negatio: est ergò sola quæstio, utrùm DEUS non tam liberè possit in voluntatem agere, quàm

vo-

voluntas in se ipsam. Hoc quidem dicit Augustinus, & S. Thomas, quod tu negas. S. August. quidem *lib. cit. de Correpț. & gratia cap. 14.* ait: *DEUM habere inclinandorum humanorum cordium, quò voluerit, omnipotentem potestatem: &, habere DEUM voluntates hominum in manu sua magis, quàm ipsi suas.* Ergò juxta S. Augustinum sicut homo habet suam voluntatem, & illa se liberè movet, poterit & DEUS. Et S. Thomas *lib. 3. contra gentes cap. 88.* & alibi sæpè repetit, quòd illud solum agens extrinsecum potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum hujus motûs, hoc autem principium est DEUS. Vide textus supra *cit.* quibus possent ex Summa plures addi.

Dices S. Thomam sæpè dicere, quòd DEUS indifferenter moveat: quòd relinquat homini arbitrium suum, & potestatem se ipsum determinandi: sed hoc non componi potest cum prædeterminatione physica: ergò S. Thomas illam non agnoscit.

Respondeo conc. Maj. negando min. quia, stante præmotione, se homo indifferenter movet, determinat, sed secundariò, determinatus causaliter à DEO, qui est primum movens, sed sua motione causat libertatem exercitè.

Objicitur IV. Si DEUS præmovet ad omnem64 actum: ergò etiam ad actum peccaminosum; sed hoc modo erit causa peccati. Prob. subsumptum: DEUS saltem movet ad entitatem actûs, & sic ad materiale peccati: sed illud materiale est necessariò connexum cum formali peccati: ergò si DEUS movet ad materiale, movet etiam ad formale: consequenter erit Author peccati.

Respondeo nego subsumptum, ad prob. conc. Maj. & min. distinguo consequens: si DEUS movet ad ma-

te-

teriale, movet etiam ad formale, si sit intra sphæram DEI moventis concedo, secus nego consequentiam. Potest absolutè negari min. quia respectu DEI non est necessaria connexio: sed illa sequitur ex principio defectibili creatura, & hinc peccatum quà tale refunditur in solam creaturam, quæ in se habet principium deficiendi. Quod sæpissimè docet S. Thomas. Dein hæc objectio patitur retorsionem in concursu simultaneo manifestam, ùt consideranti patet.

Dices: in concursu simultaneo creatura determinat DEUM, consequenter liberè actum peccati eligit: sed per præmotionem creatura determinatur à DEO: ergò DEUS est ibi Author peccati.

Respondeo, hanc determinationem esse fictitiam, sed dato tamen, quòd determinet concursum ad peccati entitatem: si ergò potest determinare concursum DEI ad solam entitatem actûs, cur non potest DEUS determinare creaturam ad solum materiale, ut formale redundet præcisè in creaturam? Dein est mirabile, quod hìc docent Recentiores, DEUM scilicet offerre suum concursum cuilibet creaturæ ad operationem, ut quandocunque velit, paratus sit cum ea concurrere, & cooperari; & hinc concursum oblatum universaliter, ajunt, requiri ex parte actûs primi operandi; jam si creatura dein velit operari, vel potiùs operetur, hoc ipso DEUM allicit ad concursum, & sic DEUS suum in operatione Dominium in creaturas transfert, séque ad obsequia paratum offert. Hoc reipsa docent, & non possunt non docere: sed quis tam indigna DEO sibi persuadeat? exspectare operationem creaturæ, quæ utique in hoc exercitè, ùtùt potentiàm acceperit à DEO, erit primum movens, & determinans?

Di-

Dicunt quidem: hoc necessarium est, ut DEUS conservet libertatem creatam, eamque intactam relinquat; proin cùm ab æterno præviderit, quid, & quomodò creatura sit operatura; hinc vi illius præscientiæ eodem instanti concurrit cum creatura. Sed negamus, vel potiùs quærimus, quomodò DEUS, & in quo prævideat? & dato etiam hoc, certè creatura determinat concursum DEI indifferenter oblatum, quod videtur planè contra dignitatem primi moventis. Nec adeò hæc Sententia necessaria est ad salvandam libertatem; hanc enim S. Thomas non vidit. Audi adhuc pro coronide loquentem in *Summa 1. 2. quæst. 10. art. 4.* ubi quærit *utrùm voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est DEUS*, & in *Corp.* ait: *Dicendum, quòd sicut Dionysius dicit 4. cap. de Div. Nom. ad providentiam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare: unde omnia movet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessariis per motionem Divinam consequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic DEUS ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, sed non necessarius nisi in his, ad quæ naturaliter moventur.* Et in eodem *Artic.* sibi objicit commune RR. argumentum sic: *Videtur, quòd voluntas ex necessitate movetur à DEO: omne enim agens, cui resisti non potest &c.* Et ad hoc respondet: *Dicendum, quòd voluntas Divina non solùm se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius: & ideo magìs repugnaret Divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si liberè moveretur, prout competit suæ naturæ.*

Dices cum aliquo Recentiore Ingolstadii: hos tex-66 tus solùm probare, quòd DEUS moveat indifferenter:

ergò ex tali motione non infallibiliter sequitur effectûs, aliàs necessariò sequeretur. Respondeo: nego consequentiam, quæ est contra S. Thomam in *tract. 4. de prædest.* ubi *cap. 6. in respons. ad 1.* ait: *Accedit Authoritas etiam Psalmistæ: Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit.* Psal. 134. *Non cogit dicere, quòd voluntas DEI necessitatem imponit, sed quòd semper infallibiliter impleatur.* Et hæc infallibilitas actûs stat cum potentia ad oppositum in sensu diviso, licèt non in composito, quod S. Thom. ex S. Augustino sæpissimè docet de prædestinatione, clarissimè autem *q. 24. de Verit. a. 5. ad 3.* referente Sapientissimo Magistro Ferre *de Prædest. quæst. 6. §. 2.* ubi ita concludit: *Quamvis etiam non esse effectum Divinæ voluntatis non possit stare cum Divina voluntate, potentia tamen deficiendi effectum simul stat cum Divina voluntate: non enim sunt ista incompossibilia: DEUS vult istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia: DEus vult istum salvari, & iste damnatur*, ubi S. Thomas sensum compositum, & divisum clarè exprimit: & quod dicitur de prædestinatione, dicendum est de præmotione. Cæterùm fateor, hanc Sententiam esse oppidò difficilem tam Thomistarum, quàm Recentiorum, teste S. August. *lib. de Grat.* contra Pelagium *cap. 47.* ubi ait: *Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & DEI gratia disputatur, ita est ad discurrendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur: quando autem asseritur DEI gratia, liberum arbitrium videtur aufferri.* Qui potest capere, capiat. Interim tamen certum est, quòd Thomistæ proximiùs accedant Scripturæ, præsertim Apostolo, & SS. Patribus, ad quorum doctrinam in materia de Gratia recurrendum est, quod olim monuit CLEMENS Octavus in Congregationibus illis de auxiliis Congregatione, quæ celebrata fuit anno 1602. die 20. Martii Dominicanos, & Jesuitas admonuit clamando: *Cedite Patribus, cedite Veritati:*

tati: ita inquirendæ, & indagandæ veritati operam navate, ut à vero sensu Scripturarum, & à defæcata S. Augustini doctrina, NB. *quam & Ecclesiæ doctrinam esse, nemo vestrûm ignorat: nullius invidiæ, & livoris facibûs impediamini.* Ita refert Historia notissima *de auxiliis.* Thuanus *tom. 3. Historiarum ad annum 1604.* & ex illo Salmanticenses *tract. 4. de Gratia efficaci Dub. 1. §. 2.* Quos consule, si placet.

QUÆSTIO III.

De moralitate actûs humani.

Cùm voluntas sit ex se potentia quædam cæca, & vel ideò non possit percipere obligationem legis, & regulam moralitatis, nec distinguere inter *bonum*, & *malum*, necessum est, ut eidem succurrat intellectus, qui objectum proponat, illúdque intimet, ac præsens faciat; subinde dictet voluntati, quid aut amplectendum, aut fugiendum sit juxta regulas tam remotas, quàm proximam. Hìc solùm attendimus proximam, videlicet dictamen rationis, quod nobis legem superioris indicat, objectivam moralitatem, bonitatem, aut malitiam ostendit, atque ad operandum dirigit.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Conscientia?

Rectè à multis post S. Bernardum *lib. de Conscientia cap. 8.* conscientia dicitur *scientia cordis* respiciens actus aut factos, aut faciendos: illos quidem quasi in sinu reconditos continet, hos autem rectè faciendos dirigit. Prioris exemplum habemus *Ecclesiast. 7. ℣. 23. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* Alterius

rius exemplum est in Apostolo *Rom. 14. ℣. 23. Omne quod non ex fide est, peccatum est.* Ubi nomine fidei, quæ ad intellectum pertinet, intelligitur conscientia à SS. PP. idque expressè ait S. Thomas hìc *quæst. 19. art. 5. in Respons. sed contra*; nam citans illa verba Apostoli statim subjungit: *id est, omne quod est contra conscientiam.* An autem conscientia pertineat ad intellectum, non adeò convenit inter antiquiores, multîs eandem voluntati attribuentibûs, quamvìs secundùm aliquid ad intellectum pertineat, quatenùs scilicet ex intellectu Originem accipit, & in voluntate consummatur. Ratio hujus petitur ex SS. Litteris præsertim ex Apostolo *1. ad Timotheum 1. ℣. 19. Habens fidem, & bonam conscientiam.* Et in *Epist. ad Titum cap. 1. ℣. 15. Inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* Ubi, quia conscientia à mente distinguitur, non est aliquid mentis vel intellectûs, sed alterius potentiæ, & vel ideò voluntatis, quia inquinata propriè dicitur voluntas, non intellectus. Dein idem Apostolus ad *Hebræos 9. ℣. 14.* ait: *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Mundari ab operibus appellat supra voluntatem sicut opera mortua erant voluntatis. Et aliàs

Ratio est I. Conscientia respicit bonum: sed respicere bonum pertinet ad voluntatem: ergò etiam conscientia. II. Agens contra conscientiam tristis evadit post actum admissum, & dolet: tristari autem, & dolere est voluntatis, non intellectûs: ergò agere contra conscientiam est voluntatis.

68 Dico I. Conscientia propriè sumpta pertinet ad intellectum.

Ratio est I. ex eodem Apostolo *1. Corinth. 4. ℣. 4. Nihil mihi conscius sum:* esse autem sibi conscium, vel nonscium pertinet ad intellectum: ergò etiam conscientia. Prob. min. Esse conscium, vel non est actus intellectûs re-

rememorantis alicujus vel admissi, vel non admissi; talis autem actus certò pertinet ad intellectum, quia voluntas est cæca, nec capax talis actûs: ergò &c. conscientia pertinet ad intellectum.

Ratio est II. ex S. Thoma *loc. statim cit. hic*: *Conscientia*, ait, *nihil est aliud quàm applicatio scientiæ ad aliquem actum: scientia autem in ratione est.* Et hoc ipsum jam docuit *1. part. quæst. 79. art. 13.* ubi per totum probat, conscientiam non esse potentiam, utpote quæ deponi potest; potest autem deponi conscientia, quia consistit in actu. Pro quo ulteriùs sciendum est, quòd, sicut datur habitus primorum principiorum in Philosophia, respiciens veritates universales, & lumine naturæ notas, puta similia, *quodlibet est vel non est: non potest idem esse, & non esse: quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Ita & communiter in linea morali adstruitur habitus primorum principiorum moralium: e.g. *malum est fugiendum, bonum amplectendum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* Et ille habitus dicitur Synteresis, quæ apud Kirschium in Cornucopiæ idem est, ac *conservatio notitiarum practicarum de honestate, & turpitudine*, quam S. Thomas *cit. art. 13. in Corp. ad finem*, vocat habitum, ubi *artic. 12.* ex professo probavit, hìc autem postquàm officia conscientiæ adstruxit, sic concludit: *Unde propriè loquendo conscientia nominat actum; quia tamen habitus est principium actûs, quandoque nomen conscientiæ attribuitur primo habitui naturali scilicet Synteresi.* Pro quo allegat Sanctos Patres Hieronymum, Basilium, Damascenum, qui ita conscientiam sumpserunt, quod & ipse approbat dicendo: *Consuetum enim est, quòd causæ, & effectus per invicem nominentur:* ex quibus patet, Synteresin esse causam illius actûs, quem conscientiam dicimus, non ipsam conscientiam, quæ deponi potest, non verò habitus.

69 Respondeo ad contraria ex Scriptura, & quidem ad primum ex Apostolo, eum nihil continere contra nos; nam sicut fides ad intellectum pertinet, ita actuum bonorum conscientia. Nec obest ratio *boni*; nam conscientia dicitur propter actus, quibus voluntatem ad bonum dirigit. Dein omne conveniens, & rectum dicitur bonum, bonitate generaliter spectata, sic etiam dicitur in Dialectica: bonus Syllogismus, bona consequentia, quatenus convenit regulis.

Ad secundum textum Epist. ad Titum ipse S. Thomas, ex quo desumpta est objectio *cit. art. 13. in 1. part.* Respondet ad secundum: *Dicendum, quòd inquinatio dicitur esse in conscientia non sicut in subjecto, sed sicut cognitum in cognitione, in quantum scilicet aliquis scit, se esse inquinatum.*

In tertio textu conscientia sumitur impropriè, quatenùs dictamen illius ad bonum, aut ad malum fuerit, ut dicatur bona terminativè, & mala, quando dictavit opera mortua. Textus ille loquitur de Sanguine Christi, lavante nos, à fortiori, ùt argumentatur ibi Apostolus v. 13. *Si enim sanguis hircorum &c. inquinatos sanctificat, quanto magìs Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram &c.* ubi largissimè sumitur conscientia. Ad rationem primam dico, conscientiam bonum respicere, ad illud per dictamen practicum voluntatem dirigendo, & sic terminativè.

Ad II. quod absurdum videtur, concedo totum; nec enim quisquam dicit, tristitiam, & dolorem esse subjectivè in conscientia, quamvìs causaliter; causat enim tristitiam, & dolorem in voluntate seu appetitu, in quantum ostendit illi rationem dolendi ex hoc, quòd voluntas declinaverit à recta rationis via, & dictamine conscientiæ, sicut etiam Prædicatores causant sæpe tristitiam, & dolorem in audientibus, ostendentes mala eorum opera.

Di-

Dico II. recta eſt prima conſcientiæ diviſio in ante-70
cedentem, & conſequentem.

Ratio eſt, quòd antecedens tanquam dictamen præ-
ſuppoſitum ad actum, complectatur ſub ſe alia dictamina,
ut ſunt certum, probabile, dubium, ſcrupuloſum, erro-
neum &c. hoc autem requiritur, & ſufficit ad rectam di-
viſionem: ergò. Maj. eſt certa; quia omnia dictamina
pertinent ad actum præſuppoſitivè, cùm actus exinde aut
bonus, aut malus ſit.

Ratio ulteriùs patet ex dictis, quia ſicut antecedens
reſpicit actus dirigendos, ita conſequens ſpectat actus vel
bene vel malè directos, conſequenter ſicut illa reſpicit
actum in ordine ad fieri eſt univerſalis, ita hæc eſt uni-
verſalis reſpectu actuum in facto eſſe.

Ulteriùs ſubdividitur, ùt dixi in prima probatione, in
veram, falſam, & erroneam, & maximè ex parte objecti
in certam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam. Alia
adhuc eſt conſcientia directa, ſeu dictamen ex principiis
directis, & primo occurrentibus deductum, alia reflexa,
quæ eſt dictamen de objecto, ſeu de bonitate actûs, qua-
tenus ſubſtat cognitioni repræſentanti principia alia con-
tra principia directa, quæ cùm inferiùs recurrant, clario-
ra fient.

Dubium à Philoſophis dicitur ſuſpenſio animi non71
potentis ſe determinare ad unam potiùs, quàm al-
teram partem oppoſitam; id eſt, dubium effectivè na-
ſcitur, quando intellectus verſatur inter duo extrema
in ordine ad dictamen practicum faciendum prorſus æqua-
lia quoad rationes pro honeſtate actûs, aut contra pro
inhoneſtate. Quod fortè clariùs apparebit ex S. Docto-
re hìc *quæſt. 14. art. 1. in Corp.* ubi ait: *Quandoque intellectus noſter non inclinatur magìs ad unum quàm ad aliud* NB. *propter effectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus non*

ha-

habemus vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem : & ista est dubitantis disputatio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Mentem S. Thomæ, ùt aliàs non rarò, præsertim hìc Vasquez approbavit, dum in *1. 2. disput. 62.* notat, tunc aliquem esse dubium inter utramque partem, & opinionem, quoties in neutra illarum cognoscit ullô modô majorem convenientiam prædicati cum subjecto ; in quo casu reverà intellectus suspenditur saltem ex principiis directis, vi quorum directè non potest se prudenter ad unam potiùs, quàm alteram partem determinare, cùm reverà non habeat rationem majorem in uno quàm in altero, atque ideò Philosophus *3. Metaph. lect. 1.* docet de dubitante : *In quantum dubitat, in tantùm similis ligatis est ; impossibile enim est, procedere ad illud, quod est ante.* Quem S. Thomas in Commentario ibi sic explicat : *In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile iis, qui sunt strictè ligati. Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundùm viam corporalem, & ille qui dubitat, quasi habens mentem ligatam non potest ad anteriora procedere secundùm viam speculationis.*

72 Ex his deduci potest communis opinio Thomistarum docentium, voluntatem non posse ex duobus bonis omninò æqualibus unum præ altero eligere ; quia cùm intellectus antecedenter illa ùt prorsus æqualia voluntati proponat, nec posset prudenter ex principiis directis dictare voluntati, ut unum potiùs amplectatur præ altero, quia non habet ex objecto ullam rationem, voluntas manebit suspensa, & si, ne careat utroque bono unum amplectatur, hoc neutiquam fit electione propria. Potest intellectus per principium reflexum voluntati dictare ferme sic : quamvìs non sit major ratio in hoc, quàm illo, quia tamen libera es, potes in alterutro exercere libertatem.

tem. In quo casu illud, quod exercitio libertatis subsstat, suô modô fit quasi majus bonum ex circumstantia libertatis exercendæ. Sed hoc simpliciter accipiendum quoad electionem, ubi non vertitur ex parte objecti honestum, aut inhonestum; quia, ubi de moralitate actûs fit quæstio, aliter dicemus infrà; nec ibi licet præcisè propter exercitium libertatis unum amplecti, alterô neglectô.

Dubium communiter dividitur in speculativum, &73 practicum: illud tunc est, quando quasi in genere de rei veritate, aut legis alicujus obligatione dubitatur e. g. an quis post annum 63. completum excusatus sit à jejunio, & dubium est juris; vel si quis dubitet, an illum jam expleverit, & tunc est dubium facti. Practicum dicitur, quando aliquis exercitè dubitat de honestate actionis hìc & nunc exercendæ.

Dividitur etiam in positivum, & negativum: dubium positivum juxta communiorem Theologiæ Salisburgensis dicit esse tunc, quando ex utraque parte contradictionis rationes, & motiva ad prudentem assensum sufficientia exstant. Negativum autem est, quando motiva sufficientia non adsunt ad alterutram partem prudenter determinandam. Imò alii, & non pauci ex nostris dicunt, dubium negativum consistere in eo, quando ex neutra parte occurrit ratio aliqua movens ad assensum, vel ratio tantùm levis, & insufficiens e. g. si dubites, an classis Hispanica jam sit appulsa terris hostilibus, vel quid intereà factum sit: vel dubitas, an stellæ sint pares? hoc non est dubitare, sed nescire. Dubium ergò verè tale supponit ex utraque parte prudentes rationes, ut inter illas intellectus maneat suspensus. Hinc

Dico I. Non licet operari in dubio practicè tali, 74 ideóque operatio est peccaminosa.

Declaratur: operari in dubio practicè tali est tunc, quando aliquis in particulari dubitat, an sibi liceat, vel non, & tamen non deposito dubio operatur: sed ita operari est peccatum: ergò qui operatur in dubio practicè tali, peccat. Maj. est notio dubii practici. min. prob. qui re ipsa non vult bonum, sed quodammodò malum, peccat: talis autem non vult bonum: ergò peccat. Prob. min. vult enim actionem, sive bona sit, sive mala, quia simpliciter est dubitans, an sit mala, vel bona, & tamen vult: ergò non vult bonum, sed quodammodo malum.

Dein mihi certissimum est ex S. Thoma, & communi Saniorum: omnis, qui se committit manifesto periculo peccandi, certò peccat: ast talis se manifesto committit periculo peccandi: ergò certò peccat. Maj. suppono, min. videtur clara; hoc ipso enim, quòd non discernat, an actio sit bona, vel mala, & tamen agat, periculum peccati adest. Taceo, quòd talis saltem interpretativè contemnat legem; nam idem est, ac si apud se diceret, sive sit licitum, sive non, tamen ago, quid est hoc aliud, nisi legem contemnere? hoc autem peccato non vacat.

Hoc exemplo quodam politico confirmat P. Valentia hìc *puncto 4.* scilicet si quis faceret aliquid, de quo dubitat, utrùm sit displiciturum suo amico, nec ne, talis hoc ipso censetur offendere amicum, quia idem ipsi est, sive placeat, sive displiceat amico.

75 Quæres, quid ergò faciendum, si quis dubium non possit deponere, sibíque conscientiam facere de honestate, aut malitia actûs? Resp. oportere, actionem omittere, aliàs peccari, ût patet in exemplis notissimis, e. g. si alterutra pars conjugum dubitet reverà, an matrimonio non subsit impedimentum dirimens, ita quidem, ut se resolvere non possit pro alterutra parte, talis non potest petere debitum, sed tantùm reddere.

Nec

Nec juvat illud principium: *in dubio melior est conditio possidentis*; quia, sicut locum quidem habet in materia justitiæ, ita non procedit in aliis materiis. Ratio prioris est, quòd faveat possessio ex ipsa juris dispositione illi, qui rem bona fide possidere incepit, & dein suboriatur dubium de dominio alterius; si dein rationes sint æquales ex utraque parte, potest ille possessionem, & omnia prosequi, favente jure possessioni. Notavi tamen de jure, & justitia, quòd si possessori moraliter certò constet, rem, quam possidet, esse alterius, Theologicè loquendo, & juxta legem naturalem, non potest amplius bona fide retinere, conscientia contradicente, & restitutionem suadente. Ita sentiunt plures cum Navarro, Vasquez, Sanchez, & Thyrso Gonzalez Societatis Generali, qui reverà multorum ex suis laxitatem restringere conatus est illo insigni tractatu *de recto usu opinionum probabilium.*

Conscientia scrupulosa dicitur opinio, quòd scilicet 76
aliquid sit malum cum formidine anxia, & peculiari. Vel etiam dici potest dubitatio animi cum addito, anxia, meticulosa, ut à conscientia simpliciter dubia suo modo distinguatur; quamvis enim dubium etiam formidinem involvat, non tamen adeò anxiam, molestam, & animo gravem, sicut tamen scrupulosa. Nascitur scrupulus in intellectu per phantasiam turbato, quæ perturbatio provenit vel à dispositione irregulari corporis, e. g. à bile præsertim atra, sæpè etiam flava, vel ab imbecillitate judicii ex minùs recta organizatione proveniente, unde alii animi, & corporis morbi proveniunt, puta tristitia imprudens, melancholia, aliáque id genus plura.

Dico II. Discordare à conscientia scrupulosa potest 77
esse peccatum.

Declaratur; nam si anxietas illa animi est rationabi-

lis, quia scilicet inter duo contradictoria intellectus hæret de licititate actionis, vel non, & ex una parte videatur probabiliùs actionem esse illicitam, quàm licitam, oportet sequi partem probabiliorem; secus discordando à conscientia scrupulosa esset peccatum. P. Valentia hìc *puncto 4.* non agnoscit obligationem sequendi partem probabiliorem, sed consilium dat, ut quis sequatur illam opinionem, in quam scrupulus impellit; non tamen quis, ait, tenetur hoc facere, sed potest licitè discordare à scrupulo. Ratio hujus est, quia supponendum, quòd pars opposita de licititate actûs sit saltem probabilis, consequenter potest licitè illam partem amplecti; sed quia hoc totum provenit ex probabilismo, quem non admittimus, apud nos non habet locum. Dein si taliter scrupulosus est verè dubius, imò potiùs inclinat in partem probabiliorem, stante anxietate non potest dubium prudenter deponere: si autem non deponat, & sequatur partem minùs probabilem, certò peccat, non minùs, quàm qui in dubio practicè tali operatur. Hinc mihi ne quidem probabilia videntur, quæ cit. Author subjungit, scilicet, quòd si scrupulus sit irrationabilis, utpote natus ex melancholia, aut ignorantia, tunc possit non tantùm quis licitè discordare à scrupulo, sed etiam consilium salutare sit, contra illum facere, quin imò aliquando præceptum esse possit, contrà agere, cùm nimirùm aliquis grave damnum ex ejusmodi anxietatibus incurreret.

78 Contra quæ est I. Scrupulosus vel agnoscit scrupulum suum esse irrationabilem, vel non agnoscit? si primum, tunc stultus esset, si non abjiceret; si verò non agnoscit, manet reverà dubius, & habet conscientiam erroneam, à qua discordare etiam juxta hunc ipsum Authorem non licet.

Contra est II. Ignorantia illa vel est vincibilis, ita ut sci-

scire possit, & debeat: vel invincibilis? si hoc, excusatur à peccato, sicut in priori parte peccat, ùt de his constat ex S. Thoma, & hucusque dictis.

Si dicas, scrupulosos non adeò adstringendos esse, cùm sæpè innocenter in tales angustias conjiciantur, pro-in potiùs favore dignos esse, quàm rigore nimio.

Resp. eos adstringi propriâ conscientiâ, quam sequi tenentur, sicut errantes nec semper innocentes sunt; DEUS enim sæpè permittit tales scrupulos vel ad tentationem eorum, vel propter occultam superbiam, & in suis opinionibus pertinaciam. Optima autem medicina est contra scrupulos non inniti judicio proprio, sed alterius probi, & prudentis consilio, illúdque in humilitate sequi; altera medicina est fervens & humilis ad DEUM oratio. Plura remedia præscribunt Ascetæ, ad quos similia pertinent.

ARTICULUS II.

De Conscientia probabili.

REm aggredimur in hoc, & sequenti Articulo tam gravem, ut in Moralibus vix esse possit alia gravioris momenti, teste enim Thyrso Gonzalez *in Introductione loc. cit.* Sententia benigna de usu probabilitatis contra antiquiores ita invaluit, ut defensores nacta sit quàm plurimos, inter quos præcelluêre Jesuitæ, quos il le excusare nititur, sed in re patenti incassum; ut enim Cardinalis noster Sfondrati in Gallia vindicata in Præfatione agens contra Maimburgum Societatis Alumnum qui calamum in Pontificem Innocentium XI. acuit, ut Regem Galliæ Ludovicum XIV. injusta petentem defenderet, perorat: *Incertum adhuc est, quid causæ fuerit, quæ hunc hominem, tot titulis Pontifici Romano adstrictum, in Vatica-*

ticanum armaverit? an Regem demerendi studium, an Genius Societatis, fortunam, ac potentiam Gallicam amplexæ? Sed Pontifici offensæ, à quo toi Theologiæ suæ Moralis capita nec sine gemitu, parique æmulorum gaudio configi viderat? passi sunt ergò sub Innocentio homines illi, qui, ut se favoribus hominum insinuarent, benigna docuerunt, excusso antiquioris Ecclesiæ rigore, ut libertati amplior via aperiretur. Sed quidquid sit, certè P. Thyrsus Generalis Societatis summô studiô laxitatem inductam evertere conatus est, & reverà in multorum Theologorum animis tantam impressionem fecit, ut relictîs probabilistîs, ad probabiliores transierint; fuêre & alii ex Societate, qui probabilismum impugnârunt, quos refert Cardinalis Aguirre in Theolog. S. Anselmi *disp. 2. sect. 6. à n. 58.* pro ulterioribus

80 Notandum est ex Patre Contenson *dissert. 6. cap. 1. de Commento probabilitatis*, quòd quidem omnes sententiæ sive in linea scibili, sive in linea morali in se spectatæ sint veræ, aut falsæ, in quantum vel sunt conformes, vel difformes objecto, sic, vel non ita se habenti; quia tamen intellectus noster non ita penetrat objectum, ut in eo prædicatorum cum subjectis convenientiam detegat, diversimodè objectum occurrit, quod vel maximè contingit in moralibus, ubi de rei veritate sæpè tantùm habetur conjecturalis notitia, subinde probabilitas major, aut minor, rarò certitudo. Hinc communiter ad mentem S. Augustini, & Thomæ discerni solent intelligere, credere, & opinari, quod S. Augustinus expressit in *lib. de Utilitate credendi cap. 11.* apud Gonzalez hìc *§. 1. num. 2.*

„ Tria sunt veluti finitima &c. intelligere, credere, opi-
„ nari, quæ, si per se considerentur, primum semper sine
„ vitio est, secundum aliquandò cum vitio, tertium nun-
„ quam sine vitio; dein subjungit: quod intelligimus, de-

„be-

„bemus rationi ; quod credimus, Authoritati ; quod „opinamur, errori. Vult dicere, quòd plerumque „opinioni ſubſit error, vel ſaltem periculum erroris, unde S. Thomas *1. part. quæſt. 9, art. 9. ad 4.* ait : *opinio ſignificat actum intellectûs*, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Probabile dicitur id, quod eſt prudenter approbabile per judicium intellectûs. Probabilitas alia eſt intrinſeca, quæ ex ipſis motivis intrinſecis ex objecto deſumptis provenit, nullo reſpectu habito ad authoritates extrinſecas : alia extrinſeca proveniens ab authoritate aliorum, hoc vel tanquam licitum, aut illicitum docentium, & hæc eſt miſerorum refugium, vel non potentium, vel, ut licentiæ, & libertati faveant, nolentium penetrare, vel attendere motiva rei intrinſeca : eſt inſuper probabilitas aliqua in ſe ſpectata, quæ nititur fundamento gravi ſecundùm ſe, ut etiam poſſit inclinare, ſed, ſi comparetur cum motivis partis oppoſitæ gravioribus, non prudenter inclinare poteſt, & ſic non eſt probabilis reſpectivè : ad veram ergò probabilitatem requiritur, ut perſiſtat etiam talis in occurſu alterius oppoſitæ, poſsítque prudenter moveri intellectus. Hinc

Dubium eſt I. circà intellectum, à cujus dictamine moralitas actûs dependet, an ille prudenter poſſit aſſentiri parti minùs probabili in concurſu alterius magis probabilis ?

Reſpondeo negativè. Ratio eſt I. Ex Philoſophia certum eſt, intellectum verſari circa objectum ſub ratione veri : ergò intellectus non poteſt prudenter aſſentiri parti minùs probabili in concurſu alterius probabilioris. Antec. eſt omnibus certum. Prob. conſequentia. Non poteſt intellectus ex duobus extremis uni aſſenſum præbere, quod ipſi minùs veroſimile videtur in concurſu alterius

rius, quod apparet verosimilius : sed probabile in concursu probabilioris videtur ipsi minùs verosimile, & probabilius apparet verosimilius : ergò intellectus non potest prudenter assentiri parti minùs probabili in concursu magìs probabilis. Prob. Maj. Non potest intellectus prudenter assentiri illi, quod minùs videtur accedere veritati, quàm alteri, quod magìs ; quia sub ratione veri tendit in rem : sed quod minùs verosimile est, minùs accedit veritati, & verosimilius magìs accedit : ergò vera est Major. Maj. patet ex ipsa intellectûs tendentia in objectum.

Confirmatur ex supposito statûs quæstionis : quamdiu intellectus clarè hìc, & nunc, imò ex rationibus intrinsecis evidenter cognoscit, unam partem magìs impellere ad assensum, quàm alteram, imprudenter, ne dicam stultè præberet assensum alteri minùs ad assensum impellenti : hoc autem contingit in concursu partis probabilis, & probabilioris : ergò imprudenter præberet assensum &c.

Declaratur ulteriùs : Si homini volenti prudenter operari, & modò hærenti inter duo extrema dicas, & explices : extremum *A* est verosimilius, quàm extremum *B* ex rationibus eidem propositis ; jam si ille rem agnosceret, & clarè judicaret, hoc extremum propiùs accedere veritati, quàm alterum, & tamen deinde potiùs *B*, quàm extremo *A* assentiretur, & sic operaretur, an talem prudenter agere existimares ? credo tam parùm, ut nihil minùs.

Confirmatur : Si unum motivum æstimas verosimile in se supra alterum verisimilius, & fortius, imprudenter æstimas, quia supra meritum suum sine ratione extollis : ergò etiam si parti minùs probabili assensum præbes, parte probabiliore posthabita, imprudenter judiças, quia supra alterius meritum.

Di-

Dices ex œconomia actuum humanorum, quòd li-82
cèt intellectus ſit prior voluntate, in quantum objectum voluntati proponit, ſit tamen poſterior, in quantum à voluntate ad aſſenſum, vel diſſenſum ad dictamen rectum, aut erroneum faciendum applicetur, conſequenter totum defectum intellectûs malè aſſentientis, aut judicantis, à voluntate deſcendere: & hinc ulteriùs ſequitur, quòd ſi quis affirmet, aliquid eſſe verum, hoc ipſo ex ſuppoſitione hujus aſſensûs judicet, rem eſſe veriſimiliorem alterâ oppoſitâ; quam neceſſariò tanquam falſam reputet neceſſum eſt; nec enim poteſt diverſis eundem præbere aſſenſum. Atque ideò, etſi antecedenter ad applicationem voluntatis intellectus judicet, partem *A* eſſe probabiliorem parte *B*. Si tamen à voluntate applicetur ad partem *B*, iſtam hoc ipſo tanquam probabiliorem fieri, adeóque intellectum prudenter dictare practicè, potiùs tenendam eſſe partem *B*, & dimittendam partem *A*.

Reſp. Similes diſcurſus non tantùm evertere ſtatum 83
quæſtionis, ſed inſuper præbere occaſionem defendendi errores hæreticos; ſi enim hæreticus dubitat de religionis ſuæ veritate, & inveniat rationes probabiles de eadem, probabiliores autem de ejusdem falſitate, propter applicationem tamen voluntatis ad rationes probabiles approbandas, illæ ex ipſo intellectûs judicio, & dictamine ſperent probabiliores. Sed amabò, quid hoc abſurdi, quid non laxitatis in doctrina morali? Sic omnes fermè errores ex tali principio defendi poſſunt. Hinc nego totum diſcurſum, qui non eſt hominis ſani, ſed delirantis, & ſuis laxitatibus vacantis. Ut verò pateat, quid poteſtatis habeat voluntas in intellectum, ex ipſa actuum humanorum œconomia, ſeu ordinatione oſtendo conformiter S. Thomæ. Suppono autem hìc hominem à paſſionibus vacuum, cui per ſenſum ad intellectum defertur

objectum per ſpecies; jam intellectus patiens mediantibus ſpeciebus objectum cognitum præſentat voluntati ſub ratione boni, prout fuerit, vel mali, amplectibilis, vel averſabilis, & hoc eſt primum intellectûs officium. Dein voluntas ad alterutrum movetur, & ideò intellectum ad judicium applicat *ut ſic*, ut vel de bonitate, aut malitia judicet, & denique dictamen faciat, quod dein ſequi poſſit voluntas in amando, & odiendo. Jam ſi intellectus rectè judicet, & rectè dictet, erit actio honeſta; ſi verò non rectè, actio erit inhoneſta; & vel ideò dicimus, non dari peccatum, quod non præceſſerit error in intellectu. Ex his deduco, applicationem voluntatis eſſe indifferentem, ſe totam, ut ita dicam, intellectui ſubjicientis, à quo utpote cæca illuminari, & dirigi expoſcit. Et hæc in Theſi ſunt veriſſima, quamvis ſæpe in Hypotheſi omnia confundantur, voluntate per paſſiones perturbata, & intellectu propè excœcato, ut fieri ſolet in obſtinatis peccatoribus, impetu quodam paſſionum obrutis, & ſemper in pejora ruentibus. Ex quibus evaneſcit illud totum argumentum de applicatione voluntatis reſpectu intellectûs.

84 Dubium eſt II. An intellectus ſtante ex utraque parte æquali ratione de honeſtate, & inhoneſtate actionis, poſſit prudenter aſſentiri alicui parti?

Reſp. negativè, conſiderando præcisè rationes, & dico, intellectum manere neceſſariò ſuſpenſum. Ratio eſt: ubi nulla ratio præponderat alteri, intellectus non habet motivum potiùs aſſentiendi uni præ altera, non poteſt prudenter aſſentiri uni parti, alterâ neglecta; quia neutra magìs accedit veritati: hoc autem contingit, quando ex utraque parte eſt æqualis ratio: ergò non poteſt uni præ altera prudenter aſſentiri.

Con-

Confirmatur ex dictis : ubi eſt idem periculum veritatis, & falſitatis, non poteſt intellectus uni præ altera aſſentiri : ſed ubi ſunt æquales prorſus rationes (intellige probabiles) eſt idem periculum veritatis, & falſitatis : ergò intellectus non poteſt uni præ altero aſſentiri. Maj. videtur clara ; nam ſi intellectus unum approbaret, quod æquè apparet obnoxium falſitati, quàm conſentaneum veritati, imprudenter ageret, quia judicium eſſet imprudens.

Nec obeſt huic aſſertioni, quod docui in *Tract. de Pœnit.* ubi dixi, quòd ſi ex utraque parte ſint æquales rationes, an peccatum mortale ſit commiſſum, nec ne, ſit obligatio confitendi ſaltem ſub dubio ; nam ibi quis ſe committeret periculo peccandi, & Sacramentum invalidum reddendi, ubi ſubeſſet ratio peccati fortè reverà commiſſi. Et aliàs in ſtatu tali conſtitutus, ùt ſuppono, eſt reipſa dubius, cùm ergò ſe *non* poſſit prudenter reſolvere, tenetur ſequi tutiora. Et hinc ſicut intellectus hærens inter duo extrema de honeſtate actionis, tenetur eam omittere, ne ſe committat periculo peccandi, ita in dubio tenetur confiteri, ut adeò hæc duo tam parùm ſint invicem oppoſita, ut potiùs unum confirmet alterum. Ex ſuppoſitis

Dico. Non licet ſequi ſententiam probabilem, reli-85
cta probabiliori.

Status Quæſtionis apud nos, quidquid alii dicant, conſiſtit in eo, an homo volens operari, aut aliquid omittere, & taliter conſtitutus inter duo extrema, ex quorum unius parte majores, & graviores de inhoneſtate actionis, aut omiſſionis, ex altera autem parte de honeſtate ſunt quidem rationes probabiles, & in ſe graves : vel una gravior, ſed ex altera parte longè gravior, an prudenter operetur ſequendo rationem ex ſe verè proba-

bilem, relicta graviori, & hoc ipso probabiliori. Exemplum est: dubitat Clericus habens unum Canonicatum, ex quo congruè, & suo statui convenienter & decenter potest vivere, an possit quærere, vel oblatum acceptare alterum Canonicatum: habet pro licititate rationes in se graves, & quæ ipsi tales apparent, pro illicititate autem ex altera parte hàbet rationes graviores, quas ùt tales agnoscit. Idem est in aliis e. g. ubi sunt rationes graves te non lapsurum in illis circumstantiis, & occasionibus, graviores autem ex altera parte, te lapsurum, ut adeò probabilius sit, te peccaturum, jam quæstio est, an liceat accedere illas occasiones. Ad quæ & similia

Resp. absolutè negativè. Ratio patet ex dictis, nimirùm, si talis ageret prudenter, id totum descenderet ex prudenti intellectûs dictamine: sed in tali casu dictamen intellectûs non est prudens: ergò talis non ageret prudenter: Maj. suppono ex ipso officio intellectûs, quod est voluntatem cæcam illuminare, & dirigere. Minor probata est antea. Hinc ratio est II. Omnis agens imprudenter in linea moris, scilicet in statu hujus controversiæ, agit illicitè, & hoc ipso peccat. Sed omnis sequens sententiam probabilem relicta probabiliori agit imprudenter: ergò agit illicitè, & hoc ipso peccat. Maj. etiam AA. est nota; & certa: min. prob. omnis sequens sententiam probabilem relicta probabiliori amplectitur id, quod magìs accedit ad bonitatem: sed omnis talis agit imprudenter; quia se committit periculo peccandi: ergò omnis sequens sententiam probabilem relicta probabiliori agit imprudenter. Maj. iterum videtur clara; quia juxta commune principium Authorum extra Laxistas, quantùm sententia probabilior accedit ad bonitatem, stantùm probabilis accedit ad malitiam; nam juxta S. Thomam *Quodlib. 8. art. 13.* certum est, quòd si duæ opinio-

nes

nes ſint contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, alteram falſam, conſequenter tenenda eſt illa, quæ magis ad veritatem, & hoc ipſo accedit ad bonitatem, quàm altera. Quomodò ergò prudenter operari cenſendus eſt, qui propiùs accedit ad malitiam, quàm bonitatem ? In diſcurſu illo, quem ob brevitatem temporis non licet adducere, S. Doctor adducit exemplum de Clerico ratione duplicis Præbendæ, ubi ipſum arguit peccati, ſi in dubitationem incidat ex contrarietate opinionum, eò quòd ſe committat periculo, *& ſic*, ait S. Thomas, *procul dubio peccat.*

Dices I. S. Doct. loqui de homine in dubio practi. 86
cè tali operante, de quo certum eſt, quòd peccet, ſi dubium non deponat.

Dices II. Quamvis ex principiis directis non poſſit fieri prudens dictamen rationis de honeſtate actûs potiùs, quàm inhoneſtate ex caſibus adductis, fieri tamen poſſe ex principiis reflexis e.g. conſideratis illis duobus extremis, etſi videat intellectus ex una parte rationes graviores, ex altera tamen graves, & probabiles, poſſe tamen ſe reflectere ad rationes prudentes, & ſic arguere : omnis, qui prudenter agit, non peccat ; ſed omnis, qui utitur opinione probabili, prudenter agit : ergò omnis, qui utitur opinione probabili, non peccat. Quantùm valeat hæc reflexio, quæ eſt P. Cardenas Jeſuitæ in *quæſt. ſelect. diſput. 10. cap. 6. n. 50.* oſtendi in *tract. de Pœnitent.* hìc breviter

Reſpondeo ad primum, haud dubiè S. Thomam loqui de volente operari, & in dubio conſtituto, an liceat operari, & ſic loquitur ibi de volente plures Præbendas, cúmque talis dubitet, & ſe reſolvere non poſſit pro ſententia probabili admittente plures, propter rationes probabiliores de uſu illicito, peccat petendo, & ac-

ceptando. Dein S. Thomas, quem *cit.tract.* allegavi, expressè & clarissimè docet, quòd dubitans de peccato aliquo, an sit mortale, teneatur confiteri dubio manente propter periculum. Videatur textus ibi adductus. Quòd autem in nostro casu aliquis se non possit resolvere prudenter pro parte minùs probabili in casu probabilioris, mihi est certum, & evidens: imò stultum est se reflectere pro libertate exercenda ad rationes solùm probabiles, rationes probabiliores pro lege, & quæ tales apparent operanti, negligendo; hoc enim est idem, ac claudere oculos animi, ne videat meliora, & deteriora sequatur; hoc est hominis fragilis imprudenter & stultè agentis. Ex his

Respondeo ad secundum, intellectum non posse se prudenter reflectere, consequenter ruere hoc unicum partis adversæ fundamentum. Syllogismum illum jam excussi *cit. loc.* præsertim *n. 101.* Hinc nego min. in concursu probabilioris, quæ necessariò ad operationem prudentem attendenda est; hinc iterum repeto, sententiam probabilem in concursu probabilioris non esse ampliùs effectivè probabilem; non est enim ab intellectu prudenter approbabilis, & appetibilis supra probabiliorem, quia intellectum non potest movere. Nec per hoc cessat status Quæstionis, ùt conqueruntur Adversarii; hoc enim quærimus, an sententia probabilis in concursu probabilioris sit adhuc prudenter approbabilis in ordine ad operationem exercendam? Illi asserunt, nos negamus: quinam prudentiùs, ratio congenita dijudicabit.

87 Dices: Probabilior non tollit intrinseca motiva probabilis: ergò manet probabilis.

Resp. probabiliorem præstare hoc, ut intellectus non ampliùs possit prudenter moveri illîs intrinsecîs motivîs, dum adsunt intrinseca motiva graviora, quæ intellectus non potest prudenter negligere sine errore.

Do-

Doleo profectò, quòd per temporis rationem non liceat hanc ſententiam pluribus ſtabilire contra alteram, quam ſemper exoſam habui, tanquam fontem omnis laxitatis inde promanantis, ùt conſideranti patebit, quanta abſurda deduci poſſint, præſertim, dum cujusvis Authoris Claſſici ſententiam probabilem dicunt, & quid non dicitur, ac docetur hac opinandi licentia? Hinc Sapientiſſimus Cardinalis Sfondrati *in Gallia vindicata*, cùm ipſi *Diſſert. 1. §. 6.* objiceretur, quòd eorum Authoritas, qui Regis declarationem, & extenſionem REGALIÆ admiſerunt, opinionem illam probabilem reddat, cur ergò non liceat amplecti, cùm probabilium ſententiarum natura, & privilegium ſit, ut eas impunè, & innocenter amplecti liceat; & hac tempeſtate more receptum ſit, ùt patet Theologiam moralem decurrenti, in qua nullam ferè paginam reperies, non hoc ſaccaro conditam; reſpondit: *Non eſt officii, ac inſtituti mei, quantam moribus, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ cladem opinandi licentia intulerit, hìc oſtendere: Satìs experientia loquitur, & decora ſententiarum, quæ Theologiam defœdârunt adeò, ut non ampliùs caſtæ Matronæ ſimilis, ſed impudica, crudelis, mendáxque procedat, & qualem jam ipſi Gentiles Socrates, & Ariſtoteles averſentur: mille videlicet coloribus fucata, & omnium amoribus, & cupiditati prompta; poſsémque longa inductione demonſtrare, nullum ferè Decalogi præceptum eſſe, quod illa non corruperit, caſsúmque reddiderit: imò non Catholicæ tantùm, ſed etiam Chriſtianæ Religionis fundamenta convellit;* hinc tot illæ Epiſcoporum, & Pontificum querelæ, conatúsque huic malo ſedando. Gravia hæc quidem eſſe poſſunt, libertatis, aliàs ex ſua natura ad laxiora proclivis, fautoribus, quæ tamen non poſſunt non probari ſeverioris, & Evangelicæ diſciplinæ Magiſtris.

Di-

88 Dices I. Ex fundamento Partis adversæ, jam suprà attacto, quòd scilicet operans nixus gravi fundamento, ac prudenti, operetur prudenter, atque vel ideò licitè: sed sequens opinionem minùs, vel æquè probabilem, relicta probabiliori, & tutiori operatur nixus gravi fundamento: ergò. Ad hoc quidem jam respondimus, sed non acceptant Adversarii, & urgent *ex capit. final. de transact. ex L. Benignius 18. ff. de L. semper 197. de Regulis Jur.* ubi dicitur, benigniorem opinionem, & suaviorem præferendam esse: sententia autem Probabilistarum est benignior: ergò potiùs illa est amplectenda, quàm altera severior.

Resp. I. Nec capitulum illud, nec leges favere Adversariis; nam *in cit. cap. ad fin.* dicit Honorius III. *in his verò, super quibus Jus non invenitur expressum, procedas, æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando.* Amabò! quid ex hoc capitulo extundi favoris potest, pro sententia probabili, & in re ad salutem pertinente? potest utique Superior in rebus facti rigorem Juris mitigare, aut ubi non est expressum, mitiora permittere, non autem in rebus conscientiam spectantibus. Leges citatæ etiam nihil prosunt: prima dicit: *benigniùs leges interpretandas esse, quo voluntas earum conservetur*; potest utique, ùt dixi, Princeps moderari legem suam; at nihil potest in foro conscientiæ, & in lege altiori sua potestate. Illa *de Reg. Jur.* est pro nobis, dicens: *semper in conjunctionibus non solùm quid liceat, considerandum est*, sed NB. *sed & quid honestum sit.* Nos non tantùm consideramus honestum, sed id, quod honestius est, magísque ad salutem proficuum, omnem laxitati viam præcludentes. Quinimò in sententia adversa nimìs largè proceditur, eóque reipsa devenitur ad illam propositionem, quæ inter damnatas ab Innocentio II. tertia est, scilicet: *generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantum-*

tumvìs tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudentur agimus. An non ferme idem elucet ex Doctrina Probabiliſtarum, qui, ſi modò ſubſit ratio probabilis, aut Doctor Claſſicus vel unus ſententiam aliquam teneat, actionem præſumptivè prudentem, & hoc ipſo honeſtam dicunt. Imò olim eò præſumptionis ventum eſt, ut non erubuerint aſſerere: *ſi liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, rejectum eſſe à Sede Apoſtolica, ùt improbabilem.* Quinam illis *Juniores*, & *Moderni* ſint, ſatìs apertè notavit ſuprà laudatus Eminentiſſimus Cardinalis Sfondrati. Quaſi verò, ſi quis Sententiæ Junioris contradiceret, eidem injuriam faceret; quod quantæ ſuperbiæ & temeritatis ſit, nemo non videt; ideo pro meritô ſuo à Sede confixa eſt. Fulmina illa Vaticani in tot ſententias vibrata ita terruerunt apud Cardinalem de Aguirre in *Theologia S. Anſelmi Tract. 1. Diſput. 2. Sect. 6. Num. 58.* Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem Societatis, ut Anno 1617. 4. Januarii in Epiſtola ſuos ſubditos ita monuerit: *Præpoſiti omni ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribúntve, minimè hac regula, & norma in delectu ſententiarum utantur: TUERI QUIS POTEST. PROBABILIS EST. AUCTORE NON CARET. Verùm ad eas ſententias accedant, quæ graviorum, Majorisque Nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducant magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant: non vaſtare, non perdere.*

Dices II. Non exſtat lex præcipiens, ut ſequamur 89
ſemper probabiliora: ergò non tenemur. Conſequentia videtur certa; quia ubi non eſt Lex, nec eſt obligatio. Antec. prob. ſi daretur Lex, deberet conſtare ex ſufficienti promulgatione; nec enim Lex, niſi ſit ſufficienter promulgata, & cognita, vim obtinet obligandi: ſed de

ejus promulgatione non constat; aliàs eam tot, tantíque Viri non ignorarent: ergò non exstat Lex præcipiens. Dein ubi utraque pars contradictionis de honestate, & inhonestate actionis est probabilis, tunc lex prohibens actionẽ est incerta, & dubia: sed lex incerta, & dubia non est sufficienter promulgata: ergò non parit obligationem, sed potiùs locum habet ejusdem invincibilis ignorantia, si post indagationem seriam ejus existentia detegi non potest; manet ergò libertas in possessione. Ex quibus sequitur argumentum, scilicet gravissimum esse, usum juris certi restringi per legem incertam, & dubiam; homo autem habet jus certum suæ libertatis, consequenter restringi non potest, saltem non debet libertas.

Respondeo neg. ant. absolutè. Ad probationem conc. Maj. neg. min. nam lex illa est lex naturæ, lumen illud, quod est signatum super nos dictans, ut prudenter operemur, nec in re gravissima nos committamus periculo erroris. Nec obest, quod viri doctissimi eam legem non agnoscant, vel potius nolint agnoscere, ut libertati faveant, deberent autem juxta aliorum opiniones agnoscere, ne videantur esse ex illorum numero, qui nolunt intelligere, ut bene agant. Ad ulteriorem probationem de restrictione libertatis Respondeo. neg. min. quòd homo in statu hujus Quæstionis habeat jus certum suæ libertatis; fit enim omnino dubium, si ex utraque parte sunt æquales rationes de honestate, & inhonestate actionis; per rationes verò graviores de inhonestate actionis, omnino exerceri non potest libertas sine peccato.

90 Denique hæc ignorantia legis, libertatem restringentis, non habet locum in statu nostræ quæstionis; nam supponimus, quòd homo volens operari in materia morali cognoscat rationes utriusque partis; probabiliores ex una, minùs probabiles ex altera de honestate, & licititate

tate actionis, in quo caſu dicimus, eum imprudenter agere, ſequendo rationes minùs probabiles, reflexione ſuprà dicta non obſtante. Certè Clariſſimus quidam Vir, nunc Reverendiſſimus Abbas Exempti Monaſterii Michaëlfeldenſis Henricus Hardter in *MM. SS.* quæ eo docente excepi diſcipulus, non capere ſe, ait, quid efficaciæ, & certitudinis ſubſit illi reflexioni; imò ſemper ſibi viſam eſſe, aſſerit, petere principium, atque ſupponere id, quod tamen vel maximè eſſet probandum, nempe opinionem minùs probabilem, minúsque tutam in concurſu probabilioris, & tutioris poſſe fundare aſſenſum prudentem, poſſe prudenter alteri præferri, & in praxi eſſe practicè probabilem, quod negant viri ſapientiſſimi. Sed ex hoc

Dices III. Longè plures ſunt Authores, omni exce-91
ptione majores, qui Probabilismum defendunt; jam ſic eſt: ille prudenter agit, qui ſe conformat tam multorum prudentum judicio: ſed qui ſequitur ſententiam minùs probabilem, minúsque tutam, ſe conformat multorum prudentum judicio: ergò prudenter agit.

Reſpondeo I. non tam eſſe hîc conſiderandum, quid alii qualescunque dicant, ſed quid volens operari ipſe ſentiat, quem ſupponimus, cognoſcere momenta utriúsque partis; ſi unam partem agnoſcit fortiorem de inhoneſtate actionis, & tamen amplectitur alteram, imprudenter agit, & peccat; nec aliquando à DEO interrogabitur, quid alii, ſed quid ipſe ſenſerit. Et quid ſi me conformarem aliorum etiam Sapientiſſimorum aliàs Doctorum judicio in ſententia, quam ego falſam, & improbabilem exiſtimo, num ideo prudenter agerem? minimè gentium. Unde Bellarminus in Opusculo, quod Cardinalis de Aguirre *cit. loc. num.* 57. vocat *aureum*, ad Epiſcopum Theanenſem Nepotem ſuum ait: „Si quis velit in tuto „ ſalutem ſuam collocare, is omninò debet certam ve-

„ritatem inquirere, & non reſpicere, quid multi dicant,
„aut faciant: & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum
„apparere, debet omninò tutiorem partem ſequi, & nul-
„la ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali
„præpoſita, ad partem minùs tutam declinare; agitur
„enim de ſumma re, cùm de ſalute æterna tractatur: &
„facillimum eſt, conſcientiam erroneam exemplô alio-
„rum inducere, & eo modo, conſcientia non remor-
„dente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non mo-
„ritur, & ignis non extinguitur.

92 Nec adeò in hac materia attendenda eſt multitudo Authorum, viam laxiorem currentium; nam ſæpè unus præit in doctrina, quem alii, re non ſatis conſiderata, ſicut ovem oves, ſequuntur, ſuavitate Sententiarum libertati blandientium allecti; ego quidem hoc non dico: dicunt alii cum graviſſimis Auctoribus, Cardinale de Aguirre, *cit. loc.* & Sfondrati in *Diſputatione juridica de Lege in PRÆSUMPTIONE FUNDATA num.* 20. Reverendiſſimo Thyrſo Gonzalez *cit. Tractatu Diſſert.* 13. aliísque plurimis. Idem jam dudum ſenſit S. Hieronymus in *Epiſtola* contra Jovinianum ſcribens: *Quòd multi Sententiæ tuæ acquieſcant, judicium eſt voluptatis* (libertatem amplectentis) *non argumentum veritatis:* „Maximè quia tota illa multi-
„tudo, & cumulus Doctorum cum omnibus principiis,
„& rationibus, quas producunt, habet ex adverſo, & in
„oppoſitum æquè multos, & multò plures æquè doctos,
„& Evangelicæ perfectionis ſtudioſos, qui rationes in-
„oppoſitum exponunt, & ab Adverſariis adductas ſolidè
„refutant, enervántque. Et vel ideo ex illa multitudine Doctorum non poteſt reſultare certitudo practica, quæ ad ultimum dictamen honeſtè operandi neceſſaria eſt. Et quidquid demum ſit, certè ipſe Spiritus S. in Scriptura Exodi 23. v. 2. monet nos: *Non ſequêris turbam ad*

fa-

faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à verò devies. Ergò ſi tibi operari volenti in materia morum una pars videatur magìs accedere veritati, & hoc ipſo honeſtati actionis, curandum non eſt judicium multorum, tibi alia ſuadentium, ſed faciendum eſt, quod tibi, rem ex utraque parte conſideranti, prudenter faciendum eſſe videbitur. Cæterùm hac ætate fortè plures ſunt, qui Sententiam noſtram tuentur, quàm alteram, & quod mirum eſt, multámque conciliat opinioni probabiliori Auctoritatem, multi, iíque præſtantiſſimi viri relictîs Probabiliſtarum caſtrîs, ad ſeveriora juxta Evangelium tranſierunt, quos magno Catalogo recenſent, præſertim ex Societate laudatus Reverendiſſimus &c. Thyrſus Gonzalez. *cit. Tract. Diſſert. 13.* inter quos etiam refert noſtrum Eminentiſſimum Cardinalem de Aguirre, qui etiam *cit. Tractatu* non erubeſcit, profiteri palàm, ſe diu molliſſimo probabilitatis indormiiſſe pulvino, donec ſeveriori Evangelii tuba fuerit excitatus. Et quia plura non admittunt foliorum anguſtiæ, illud ſolum S. Auguſtini *Homiliæ 12.* apud Card. de Aguirre *cit. Tract. ſect. 6. n. 56.* adjungo, ubi videtur loqui de Probabiliſta: *Ecce! dat tibi ſecuritatem procurator; quid tibi prodeſt, ſi Paterfamilias non acceptet? Procurator ſum, ſervus ſum. Vis dicam tibi? vive quomodò vis. Dominus te non perdet? Securitatem tibi procurator dedit? nihil valet ſecuritas procuratoris. Utinam tibi Dominus ſecuritatem daret! - - Domini enim ſecuritas valet: mea verò nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuritas, fratres, vel mea, vel veſtra, niſi ut Domini juſſa intentè, diligentérque audiamus, & promiſſa fideliter exſpectemus?*

(†)

ARTICULUS III.

An Peccata dubia sint materia necessaria Confessionis?

CUm hæc Quæstio aliquam connexionem habeat cùm dictis Articulo priori, eam studiosè examinandam assumpsimus.

93 Dubium autem in ordine ad confessionem versari potest I. in eo, an aliquis commiserit grave peccatum? II. An certò commissum sit mortale, aut veniale, vel omnino nullum? III. An mortale commissum fuerit clavibus Ecclesiæ subjectum, vel non? Ex quibus aliæ adhuc quæstiones deduci possunt, quarum resolutio reducenda est ad has, quas modò dabimus.

De dubii acceptione diversi sunt Authores. Celebris, & huc pertinens acceptio est de dubio negativo, & positivo. De illo anteà *num. 73.* jam diximus. Dubium verò positivum, non negativum, in sententia multorum petit rationes pro & contra. Ex quo affertur & aliud dubium, quod dicitur claudicans, ubi ex una parte rationes probabiles, nulla autem vel tenuis ex altera, an peccaverim vel non? ast hoc dubium non tantùm claudicat, sed omninò non potest procedere.

Quidquid sit de aliis, dubium illud negativum mihi videtur nullum tam in se, quàm quoad statum quæstionis. Ratio primi est; ubi nulla est ratio suspendendi intellectum, non est dubium; quia dubium est suspensio: sed in duobus casibus nulla est ratio suspendendi intellectum: ergo non est dubium. Majorem suppono, quia intellectus dubius inter rationes æquales hæret, ut non possit ferre judicium. Minor probatur. An Rex Hispaniæ nunc dormiat, aut vigilet, non suspenditur intellectus

ra-

rationabiliter, quia ratio levis tantùm parit suspicionem, aut in moralibus scrupulum, qui sinè culpa excutitur? an stellæ sint pares, non potest esse dubium, sed mera ignorantia, nulla ratione prudenti, ut supponimus, pro aut contra pugnante. Si enim interogas, an stellæ sint pares? respondeo: nescio; an Rex dormiat, aut vigilet? nescio. Nescire non est dubitare. Dubium ergò supponit rationes utrinque prudentes. Inde est, quòd illud negativum nil faciat ad quæstionem; nam si nulla est ratio, quòd peccaverim vel non? ad nihil teneor: si levis est utrinque, potest utrumque innocenter excuti. Dubium ergò positivum dicimus, quando ex utraque parte dantur rationes graves, ex una tamen parte est aliqua præponderans: negativum verò denominamus à negatione consensûs, non à nulla prorsus ratione, sed ex utraque parte probabili æqualiter, ita ut intellectus suspendatur; ubi dein hæc duo interveniunt, an libertas, seu innocentia sit in possessione, vel præceptum confitendi. Cujus resolutio multùm dependet ab eo, ùt suprà, an liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliori &c. Quibûs suppositis

Dico I. dubitans positivè de peccato admisso, & dein 94
ex ratione gravi judicans se peccâsse, stante ex altera parte ratione minùs gravi de non admisso, tenetur se accusare in Confessione. Est communior.

Ratio est: quando habetur moralis certitudo de peccato admisso, illud exponendum est in Confessione: sed stante gravi ratione de admisso, & de non admisso minùs gravi, & respectivè levi, habetur moralis certitudo de admisso: ergo exponendum est in Confessionali. Major nobis est certa; quia in similibus cùm non habeatur certitudo plena, sufficit moralis. Minor statim fiet clarior. Idem ferme argumentum est à contrario; si de

pec-

peccato non admisso habetur gravis ratio, & de admisso minùs gravis, & respectivè levis, non tenetur dubitans confiteri; quia licet sequi sententiam probabiliorem, relicta tutiore. Atque hìc dicta extendi debent ad omnes tres quæstiones ab initio positas pro, & contra.

Confirmat hanc opinionem Theologia Salisburgens. hìc *num.* 5. ex communi & perpetua praxi Ecclesiæ; ut, qui de aliquo peccato dubitant, etiam de illo se sub dubio accusent, quam praxin utpotè immemorialem ex Christi institutione, & Apostolorum traditione dimanare rectè existimat. Et profectò, si peccatum hoc modô dubium non subjacet Confessioni, nullum subjacebit, & sic tolletur consuetudo confitendi peccata dubia sub dubio. Huic conclusioni oppono alteram, &

95 Dico II. quando ex neutra parte est gravis, & sufficiens ratio ad movendum intellectum, non est obligatio confitendi.

Ratio: ut sit obligatio gravis, qualis hìc esset, confitendi, debet esse prudens de peccato dubium: sed ubi non est ratio gravis, sed levis & futilis, non est prudens dubium: ergò non est obligatio gravis confitendi. Major probatur: ideò non tenemur exponere scrupulum in Confessione, quia nititur ratione levi, nec gravi fundamento, licet subindè pariat anxietatem, & timorem ex fluctuatione animi: ergo nec tenemur in nostro casu. Antecedens probatur ex *cap. inquisitioni 44. de Sentent. Excomm.* ubi Pontifex respondet, quod si conjugum unus de impedimento dirimente dubitet solùm ex credulitate levi, possit reddere, & petere debitum: quia potest explodi ratio levis pro peccato: ergo paritas tenet; quia in utroque casu vertitur periculum peccati. Aliter Innocentius III. ait citatô locô in casu, quo aliquis conjugum est certus de impedimento; tunc enim potiùs debet susti-

stinere excommunicationem quàm reddere debitum: si verò certò non sciat, sed tantùm *Conscientia pulset animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet.*

Dices contra primam Conclusionem: stante ex una parte ratione gravi de peccato commisso, & ex altera minùs gravi de non comissо, non tenetur dubitans confiteri; quia sequitur sententiam probabilem pro innocentia, & illam sequendô non peccat: ergo argumentum est nullum. Causalem probat Joannes Cardenas in Quæstionibus Selectis *Tract. 1. Disp. 10. cap. 6. num. 50.* implicat contradictionem, quòd quis agat prudenter, & peccet: sed qui utitur opinione minùs probabili agit prudenter: ergo implicat contradictionem, ut peccet. Et tamen juxta nos peccaret talis non confitendô peccatum. Ut verò res evidenter juxta regulas Logicæ pateat, ait, sic formandum esse Syllogismum: *Omnis qui operatur prudenter, non peccat: sed omnis, qui utitur opinione minùs probabili, operatur prudenter: ergo omnis, qui ùtitur opinione minùs probabili, non peccat.* Cujus omnes Propositiones dicit *evidentes in prima figura, & modo secundo.* Dein multa adhuc addit, quibus rem *evidenter* demonstrat, ùt ipse putat. Sed tamen miror vehementer hujus Authoris arrogantiam; nam, si voluit rem facere adeò evidentem, ut & Logici intelligerent, cur modum secundum non reddidit clariorem; nam Logicus hunc Syllogismum ponit in primo modo sic: *Omnis operans prudenter est non peccans: sed omnis utens opinione minùs probabili est operans prudenter: ergò omnis utens opinione minùs probabili est non peccans.* Syllogismus iste est legitimus, nisi fortè terminos infinitantes carpere possit. Sed nihil facit contra nos; quia ipse tam studiosus Dialecticæ debuisset sic formare Syllogismum in secundo modo, primæ figuræ: nul-

lus operans prudenter est peccans: sed omnis utens opinione minùs probabili est operans prudenter: ergò nullus utens opinione minùs probabili est peccans. Ita solemus instruere Summulistas omnes Propositiones resolvendo, non ita Theologos. Sed hæc curiositatis gratiâ.

97 Respondeo ad argumentum negando antecedens, & causalem: ad probationem, & Syllogismum juxta regulas Logicæ concedo Maj. nego min. in concursu probabilioris; nam apud me non est probabilis respectivè ad probabiliorem contradictoriam; quia non ampliùs potest prudenter movere intellectum ad assensum, & si intellectus non moveatur, non potest voluntas prudenter imperare assensum, quod ostendo. Intellectus ex sua natura fertur in objectum sub ratione veri: ergò non potest judicare de probabili, relicta probabiliori. Antec. est notum. Consequentia probatur. Ponamus pro fundamento hoc: *Probabiliter non peccavi, probabiliùs peccavi:* jam argumentor sic: inter has duas Propositiones non potest intellectus prudenter ferre judicium: *non peccavi:* ergò debet ferre judicium *peccavi.* prob. anteced. & consequentia. Implicat contradictionem, ut intellectus prudenter affirmet propositionem illam probabilem esse potiùs veram, quàm alteram, magis probabilem: sed hoc necessariò fieri deberet: ergò non potest intellectus prudenter judicare potiùs, *non peccavi,* quàm *peccavi.* Maj. est clara, secùs intellectus fallò, & mendaciter judicaret; hoc autem non est judicare prudenter. Et si voluntas non obstante judicio intellectûs tamen imperet actum oppositum, aderit peccatum, quia cæcô modô contra judicium intellectûs ferretur in objectum amabile. Jam inverto argumentum: omnis qui operatur imprudenter, peccat: sed omnis, qui utitur opinione probabili relicta

pro-

probabiliori, operatur imprudenter: ergò omnis, qui utitur opinione minùs probabili relicta probabiliori, peccat.

Dico III. Quando ex utraque parte contradictionis 97 dantur rationes æquales, an peccatum sit commissum, vel non? ita ut intellectus suspensus nequeat determinatum judicium ferre pro alterutra parte, est obligatio tale peccatum dubium confitendi. Hæc conclusio est inter duas priores media, & de dubio propriè tali.

Probatur I. juxta Concilium Tridentinum debemus confiteri mortalia, quorum conscientiam habemus: sed talis peccati habemus conscientiam: ergò debemus confiteri. Maj. & min. prob. simul: illa, quorum conscientiam certam habemus, tenemur confiteri pro certis: ergò quorum habemus conscientiam verè dubiam, tenemur pro dubiis confiteri.

Confirmatur: Christus potuit ita instituere: ergò probabiliùs ita instituit. Consequentia probat. ex communi SS. praxi, & usu piorum, à quorum observantia, velut ex traditione, institutionem Christi colligimus.

Probatur II. clarè ex S. Thoma in *4. Sent. dist. 21. q. 2. art. 3. ad 3. quando aliquis*, inquit, *dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur, illud confiteri* NB. *dubitatione manente* (quando scilicet potest non ferre judicium determinatum) *quia, qui aliquid committit, vel omittit in quo dubitet esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri: non tamen debet asserere, illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui.* S. Doctor fundat se in paritate verissima; nam operans in dubio circa objectum, an sit mortale, vel veniale, peccat mortaliter, quia se periculo graviter peccandi committit: ergò peccat mortaliter, qui in dubio, an sit mortale, vel veniale commis-

ſum, negligit confiteri ex priori ratione. Textus iſte multùm laboris facit Adverſariis, ùt videre eſt apud Reverendiſſimum P. Lendlmayr *cit. loc. à num.398.* qui cum aliis varias reſponſiones adhibet, ſed nulla illarum argumentum infringit. Nam

98 Primò dicunt, textum hunc ex ſupplemento deſumptum non adeò eſſe authenticum, eo quòd fuerit alterius Doctoris, ſupplentis ea, quæ deerant in *Sũma* S. Thomæ; inſuper ait, non conſtare, an omnia in Supplemento ſint transſumpta ex libris Sententiarum nullîs admixtîs aliîs, quæ videri potuiſſent ex S. Doctore deduci.

Reſpondeo I. nos non ex Supplemento, ſed ipſis libris Sententiarum loqui, qui juxta omnes ſunt veri partus S. Thomæ, multîs de Summa, licèt ex invidia, dubitantibûs.

Reſpondeo II. Non poſſe oſtendi textum contrarium in *Summa*, conſequenter ſtandum eſſe illis, quando S. Doctor non explicativè tantùm loquitur, ſed deciſivè, ùt hìc. Dein quare ipſe, ejúsque Patroni in aliis materiis ſupplementum, & libros Sententiarum authenticos habent, dum favent? cur hìc non? non nego, poſſe dimitti libros Sententiarum, ſi habetur contrarium in *Sũma*, ſecus non. Dein conferatur Supplementum cum Libris Sententiarum, & apparebit, illud fideliter fuiſſe deſumptum ex illis.

Secundò ajunt, S. Thomam ſcripſiſſe ante Tridentinum, proin non habere vim, dum Tridentinum favet parti neganti. Tertiò, authoritatem debere conformari rationi in ſpecie facti; de ratione autem ſatìs conſtare præſertim in materia odioſa, & novæ obligationis inductiva.

Reſpondeo ad ſecundum, S. Thomam nihil debere Tridentino, hoç verò plurimum ipſi, ùt ſæpe oſtendimus,

mus, licèt potiùs standum sit Concilio, quàm Doctori, ubi est oppositum; sed unde probatur, Tridentinum favere Sententiæ contrariæ? tam parum, ut nihil minùs.

Respondeo ad tertium, objectionem esse injuriosam S. Thomæ, ac si docuisset sine ratione, cùm tamen rationem addat, & si nullam addidisset, deberet de tanto Doctore præsumi. Quòd verò de ratione Adversariis satìs constet in specie facti, est falsum; quia aliàs alii non possent prudenter tenere contrarium.

Quartò dicunt, S. Doctorem non fuisse locutum ex 99
mente propria, cùm in illo articulo solùm quærat, *an liceat peccatum dicere in confessione, quod non fuit commissum?* & quòd solùm paritatem, quæ à peccatis negativè dubiis fuit ab objiciente assumpta, S. Thomas dissolvat assignata disparitate. Quintò S. Doctorem loqui de practicè dubitante, an non confiteri talia peccata, sit mortale peccatum; tunc enim se talem exponere periculo peccandi; proin in hoc dubio admittunt, non tamen in altero. Sextò denique putant, talem juxta S. Thomam peccare quidem contra Charitatem erga se ipsum, non tamen contra præceptum Pœnitentiæ. Ex quibus apertum est, Adversarios torqueri Authoritate S. Thomæ, nihílque efficere. Nam

Respondeo ad quartum, verum esse statum quæstionis allegatum, ita enim habet; nego autem S. Doctorem non locutum fuisse ex mente propria; ex cujus enim mente dixit, fortè ex mente Magistri Sententiarum, vel alterius? hoc est falsum; quia neminem citat. Illud non est verum; quia Magister ibi solùm ex S. Augustino probat, non licitum esse confiteri etiam ex humilitate, quod commissum non est. En verba S. Augustini de Verbis Apostoli *Serm. 31.* apud Magistrum hoc loco: *cùm humilitatis causâ mentiris; si non eras peccator, antequam mentireris,*

mentiendo efficeris, quod vitâras: veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Idque assumit. Magister, ut probaret intentum, nihil de peccato dubio, sed tamen S. Doctor sibi objicit de dubio, idque dicendum esse sub dubio, asserit propter periculum: ergò non locutus est ex mente alterius, ubi nemo alter adest; Et, si dixisset ex alterius mente, eámque approbâsset, num ideò attendendus non esset Thomistis, quibus hîc respondemus?

Respondeo ad quintum, plerúmque vanam esse illam divisionem in dubium practicum, & speculativum in similibus casibus, eséque miserorum refugium, quod alibi ostendam, nunc dico, hoc dubium esse omnino practicum in ordine ad confitendum, vel non; proin hoc refugium esse nullum.

Respondeo ad sextum, gratis hoc ab Adversariis dici Authoritate pressis: utique legerint S. Doctorem, quod ibi agat de præcepto Pœnitentiæ Sacramentalis, non de virtute Pœnitentiæ; Confessio enim exercitè ad Sacramentum pertinet. Dein nec umbra Charitatis ex textu illo emulgeri potest. Quódque omnium absurdissimum est, rem clarissimam quæsitîs, tortísque responsionibûs obscuram reddere laborant; qui ergò textus aliquando clarus erit?

ARTICULUS IV.

Respondetur Objectionibus, & aliqua resolvuntur.

100 OBjicitur I. contra probationem nostram: juxta Tridentinum solùm tenemur confiteri, quorum conscientiam propriè talem habemus: sed peccati dubii non habemus conscientiam propriè talem; nec enim conscientia dubia est conscientia propriè talis: ergò pec-

ca-

catum dubium non tenemur confiteri. Maj. est nostra de proposito formali; quia verba Tridentini accipienda sunt in sensu proprio.

Respondeo negando Maj. cum ly *solùm*. Ratio est, quia Tridentinum omnino intendit Sacramentum fructuosum, ùt sæpè diximus; cùm ergò certiùs habeatur fructus Sacramenti, si peccatum verè dubium confiteamur, Tridentino ex æquo satisfacimus. Verba Tridentini utique tamdiu in sensu proprio accipienda sunt, quamdiu non vertitur periculum peccati, ùt in quæstione hac. Unde retorsio de proposito nobis favet; quia formale propositum est securius, & confiteri peccatum dubium est tutius, quàm omittere.

Deinde sic argumentor: peccatum dubium est materia necessaria doloris justificativi: ergò etiam Confessionis. Antec. prob. imprudenter ageret ille, qui vellet reconciliationem cum DEO, & nollet se assecurare de statu gratiæ: sed non posset se assecurare, si nollet dolere saltem conditionatè de peccato, de quo prudenter dubitat; quid enim, si esset reverà reus coram DEO? non consequeretur gratiam: ergò sicut tenetur dolere saltem conditionatè, ita tenetur confiteri sub dubio. Pro quo pugnat ratio S. Thomæ allegata. Nec dicas, peccatum tale esse in conscientia, & non esse, quæ videntur contradictoria. Respondeo, nunquam dari contradictoria, ubi datur medium, inter conscientiam autem certam, & omnino nullam, mediat conscientia prudenter dubia, in qua tale peccatum semper est.

Objicitur II. in dubio melior est conditio possidentis, ùt patet ex utroque jure: sed in Sententia contraria est in possessione libertas, & innocentia; nemo enim habetur malus, nisi probetur talis: ergò libertatis conditio est melior, donec dejiciatur ex possessione, quod

non

non potest fieri, ubi rationes pro & contra sunt æquales. Hoc solum argumentum mihi semper visum est difficile. Sed tamen

Respondeo I. ex textibus juris simpliciter sumptis probari nimium pro Adversariis; nam sequeretur, quod in ordine ad justificationem nec debeat elici dolor, se ad peccata dubia extendens.

Respondeo II. Majorem esse veram in materia justitiæ, e.g. possessionis, pœnæ infligendæ; quia in similibus casibus ipsa jura favent; e.g. dubitans, an fundum revera suum possideat, habet rationes pro, & contra æquales, licèt teneatur juxta dicta de jure & justitia juxta communiorem Theologorum inquirere in verum Dominum, si tamen nihil possit detegere, prosequi potest possessionem, fructúsque bonâ conscientiâ percipere; quia habet favorem legis, quæ ipsi dominium conservat, sicut in præscriptione potest totaliter transferre. Ita est in pœnis infligendis, ubi ex dispositione legis mitiora eligenda sunt, & in talibus non est periculum peccati; cùm Principes ex Dominio alto possint possessionem & dominium reddere. Aliud est in nostro casu, ubi deberet ostendi alicujus legis favor. Certè Summus Pontifex in *cit. cap. 44. de Sent. Excomm.* non usus est hoc principio, sed propter prudens, & discretum dubium prohibet petere debitum, licèt propter partem prorsus innocentem indulserit reddere.

Insuper habemus textus alios nobis apertè faventes ex Jure Canonico in *cap. ad audientiam 12.* & *cap. significâsti 18. de homicidio.* Ubi in primo Clemens III. in dubio homicidii patrati Clericum à Ministerio removeri jubet ex ratione, *cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem:* & in altero ex eadem ratione Sacerdoti in dubio homicidii celebrationem prohibet; *cùm in hoc casu cessare* (scilicet

licet à celebratione) *sit tutius, quàm temerè celebrare.* Hoc ipso motivo usus Eugenius Papa in *cap. Juvenis 3. de Sponsalibus, & Matrimonio*, ut proin textus alios infringat Jus Canonicum.

Objicitur III. dubitans negativè, licèt se non possit 102
resolvere determinatè ex principiis directis, potest tamen ex principiis reflexis, ùt suprà ex Cardena diximus, & taliter operando agit prudenter.

Respondeo, non posse dubitantem relinquere Sententiam æque probabilem, & tutiorem, dum altera quidem æquè probabilis est, sed minùs tuta propter periculum peccati, ùt patet ex dictis. Nec etiam principia reflexa enervant contraria; cùm enim ex solis probabilibus procedant, nec quidquam superaddant; manet contrarii eadem virtus, & major securitas: quomodò ergò in reflexis est major vis, quàm in directis? Imò Adversarii suô argumentô petunt principium, quod est unum dubium per alterum probare contra principia Philosophiæ. Et quare in nostro casu non potiùs fit reflexio super principia directa Sententiæ æquè probabilis, & tutioris, ubi nullum est periculum peccati? utique taliter operans reverà prudenter ageret, non verò alter libertati favens, ubi sæpe occultus naturæ impulsus rationes contra libertatem diminuit, & libertati faventes extollit ad æqualitatem.

Quæres I. An, si confessus sis peccatum ùt dubium, 103
& deinde cognoscas, te reverà peccâsse graviter, tenearis postea confiteri peccatum ùt certum?

Respondeo I. quòd, si peccatis dubiis addideris in confessione: ego accuso me sub dubio, sed omni tamen meliori modo, ùt reus sum coram DEO, non tenearis iterum confiteri; quia feci*sti* totum, quod debes. Et hoc est consultissimum juxta Ascetas, & Theologos morales ad scrupulos evitandos.

Respondeo II. aliquos distinguere inter hæc duo: e.g. I. *dubito, an peccaverim graviter:* II. expressa semel specie peccati, *an cogitationi circa furtum consenserim, vel non?* in primo communis est responsio, talem obligari ad confessionem, si certò agnoverit, & quidem ex Tridentino, quod vult, numerum & speciem peccatorum, expressam; cùm ergò pœnitens non expresserit speciem, sed dubium simpliciter de peccato gravi, cognita ejusdem certitudine tenetur etiam speciem exprimere. In altero dicunt, cognito semel consensu, esse tutiùs peccatum exprimere, nullam verò gravem obligationem, statuunt. Ego verò

Respondeo, primum casum esse contra modum confitendi; quia ipse pœnitens tenetur dubium secundum objectum explicare, & Confessarius, si non dicat, tenetur interrogare; quid enim hoc est? dubito, an peccaverim mortaliter? utique Confessarius tenetur interrogare, *in qua specie dubitet?* pro quo habemus clarissimos Authores ex doctrina Catholica, consequenter si dubium simpliciter in Thesi fuit, necessum est addere speciem, & certitudinem peccati.

Casus alter apud nos nihil difficultatis habet, si addiderit illud. Secùs verò existimo, exprimendum esse consensum, cujus ratio est primò; quia moribundus si non possit exprimere omnia peccata, numerum & speciem, tenetur postea recuperata sanitate clarè confiteri. Secundò: quia peccata generaliter dubia, si pœnitens dicat, habeo adhuc gravia, de quibus dubito, modò autem non scio satis discernere, tenetur cognita eorum certitudine confiteri.

104 Quæres II. An etiam tenearis confiteri circumstantias peccatum intra eandem speciem aggravantes?

Re-

Respondeo juxta S. Thomam negativè: ita ille docet in *4. Sent. dist. 16. quæst. 3. art. 2.* & *Quæstiuncula 5. in Corp.* ubi quidem ait, controversam esse inter Authores opinionem, probabiliorem tamen existimat negativam, & dein concludit: *Circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel* NB. *quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate Confessionis.* Sed addit S. Doctor statim: *Tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut de venialibus dictum est.* Nec S. Doctorem correxit Tridentinum *cit. Sess. 14. cap. 5.* quod tantùm præcipit speciem, & numerum mortalium exprimere, & de venialibus idem dicit cum S. Thoma. Ex utroque proin

Probatur: quod tantùm perfectionis est, & piorum hominum usus, non est de necessitate Confessionis, aliàs quivis deberet præstare: sed confiteri circumstantias, intra eandem speciem aggravantes, est tantùm perfectionis, & piorum hominum usus, sicut confiteri venialia: ergò non est de necessitate Confessionis.

Nec dicant Adversarii, quòd juxta Concilia debe- 105
rent ita exprimi peccata, ut Confessarius possit ferre judicium de gravitate, & præscribere remedium contra relapsum, atque pro gravitate injungere satisfactionem congruam, quæ fieri non possunt, nisi circumstantiæ notabiliter aggravantes explicentur: ergò ut Confessarius habeat judicium de gravitate, & præscribere possit congruum remedium, debet confitens circumstantias notabiliter aggravantes explicare. Min. facilè suadetur præsertim in materia justitiæ e. g. si quis mille aureos subtraxerit, & juxta nos sufficiat, si pœnitens dicat *furatus sum materiam gravem:* quomodò Confessarius judicium feret? quid circa restitutionem suadebit ut Medicus? Alium insuper casum ita exaggerant AA. qui est hic: in nostra Sententia absurdum est, quòd ille, qui integrô annô per-

severavit in voluntate interficiendi suum inimicum, satisfaceret simpliciter dicendo: *Quòd habuerit animum serium occidendi inimicum.* Ex quo nonnemo deducit, notabiliter variari judicium Confessarii ex circumstantia tantæ durationis, ideóque existimat hìc præsertim requiri expressionem hujus circumstantiæ, consequenter & in aliis. Nam

106 Respondeo primò, nihil per Concilia contradici, nec per Pontifices magnô numerô allegatos: & si quid vel umbram haberet, sufficeret Tridentinum, quod solùm circumstantias speciem variantes jubet exprimere, cúmque hoc sit ultimum, & cæterorum compendium, nihil rectè ex aliis expungitur, quod in isto non est expressum. Cæterùm quoad judicium Confessarii S. Doctor *cit. loc.* ad similem prorsus Objectionem *ad secundum*, post alia respondet: *Unde sufficit, quòd cognoscat quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit.* Anteà verò dixit, quòd nec ipse pœnitens semper possit scire quantitatem in eadem specie, ideóque nec possit, nec debeat innotescere Sacerdoti. Hinc ad casum primum in justitia respondeo, non esse necessarium, scire quantitatem furti, modò pœnitens sit paratus ad restitutionem; si verò non, nihil efficiet Confessarius, sive centum, sive unus aureus fuerit ablatus, sed debet confitentem sine absolutione dimittere. Ad alterum casum iterum in materia justitiæ principaliter, cum aliis

Respondeo, illam moralem perseverantiam constituere unicum peccatum, hujúsque notitiam sufficere Confessario tam ad judicium, quàm ad pœnitentiam injungendam. Si verò actus fuerit moraliter interruptus, tenetur confitens explicare numerum juxta Concilium. Sed quid inde absurdi? Interim non nego, posse Confessarium & forsan aliquoties debere pœnitentem interro-

gare

gare de circumſtantiis, ut ſecuriùs procedat, præſertim in materia lubrica, ubi pœnitentes ſolùm dicunt *peccavi cum hac, vel illa.* Quid inde colliget Confeſſarius? actum fornicationis, & præterea nihil? hæc enim neutiquam ſolùm, ſed ſæpe alia intercurrit ſpecies. Etiam in furtis præſertim domeſticorum interrogandi ſunt confitentes; plerumque enim tantùm dicunt: *ego Domino meo* 5. aut 6. crucigeros ſurripui, nec addunt, ſe hoc jam longo tempore practicâſſe, ita ut furta minuta magnam ſummam conficiant. Atque ſimilia ſagacitati, & prudentiæ Confeſſarii relinquuntur, cui interroganti pœnitens tenetur reſpondere, ùt conſtat à pari de conſuetudinariis, qui tenentur reſpondere, poſtquàm Sententia, negans obligationem reſpondendi, eſt damnata.

Dices: juxta nos eſt obligatio confitendi peccata du- 107
bia: ergò etiam circumſtantias. Prob. conſequentia: ideò prius, quia, cùm Chriſtus ita potuerit inſtituere, probabiliùs ita inſtituit, quod colligitur ex communi praxi, & uſu piorum: ſed hoc idem rectè dici poteſt de circumſtantiis.

II. Juxta nos in dubiis tutior ſemita eſt eligenda, ut textus Juris Canonici ſuprà allegati evincunt: ſed manifeſtè tutius eſt circumſtantias confiteri: ergò tanquam in dubiis via tutior eligenda eſt.

III. Ideò tenemur confiteri dubia, ne periculo peccandi nos exponamus: talis autem etiam ſe exponeret periculo, ſi omitteret circumſtantias; ſi enim revera Chriſtus ita inſtituiſſet, tunc talis invalidè ſuſciperet Sacramentum, adeóque in Catechismo Romano *part. 2. cap. 5. num. 4.* circumſtantiæ videntur haberi inter materiam neceſſariam. Certè omnia, quæ pro peccatis dubiis pugnant, pro circumſtantiis applicari poſſunt, ut ideò doctrina non videatur ſatis conſequens.

Respondeo ad I. concedo anteced. nego consequentiam. Ad probationem nego paritatem, quia Viri Sanctissimi in Ecclesia noti, & alii doctrinæ famâ gravissimi nostram tenent Sententiam. Inter hos est S. Thomas, S. Bonaventura in *4. Sent.* S. Antoninus, quibus aliisque consentit Scotus hìc in *4. Sent. distinct. 17. quæst. unica. num. 20.* ad finem, ubi ait: *tamen tutum, & utile esse, hoc fieri*, scilicet circumstantias confiteri. S. Thomas dicit, *perfectionis esse:* conveniunt ergò hi Magistri non sine magna veritatis præsumptione.

Respondeo ad II. tutiorem semitam eligendam esse, ubi pars altera non est probabilior, qua suppositа intellectus potest se prudenter determinare ad unum; nec enim necessariò, ut suprà diximus, pars tutior eligenda est, ubi contraria est probabilior. Textus illos Canonicos allegavimus pro nostra de dubiis Conclusione, ubi intellectus propter æquales rationes non potest se determinare, quod non contingit. Hinc

Respondeo ad III. si aliquis secum dubitaret propter rationes utrinque æquales, an debeat confiteri circumstantias, vel non? nec se posset determinare, esse obligationem confitendi propter periculum peccati ex dubio vero in ordine ad praxin, hoc autem non provenit ex principiis directis nostræ Sententiæ, quæ, utpote probabiliora, intellectum prudentis possunt determinare. Ex quibus nihil sequitur contra doctrinæ consequentiam, si rectè perpenditur. Dein fundamentum potissimum est S. Thomas, qui pro dubiis peccatis loquitur affirmativè, pro circumstantiis negativè: ergò saltem Thomistis prius affirmandum, alterum negandum est. Nemini autem prohibitum est sequi S. Doctoris, & Scoti Consilium, quod omnibus suadendum est, nisi subsit periculum anxietatis, & scrupulorum in confitente.

Dein

Dein I. adducunt caſum in inceſtu e. g. unus com- 108
miſit cum conſanguinea in primo, aut ſecundo gradu, alter in tertio vel quarto: primus, & ſecundus inceſtus reſervatur in multis Diœceſibus, cæteri non. Jam ergò quod movet Superiorem ad reſervationem, non verò alterum, prius eſt neceſſarium ad confeſſionem, non ſecundum, licet dubium ſit inter Doctores, an illi inceſtus ſpecie diſtinguantur: ergò circumſtantiæ exprimendæ ſunt.

II. Titius, & Sempronius commiſit homicidium, ſed Titius ſimpliciter tantùm, Sempronius verò etiam in corpus exanimatum ſævit, atque alia in ſe lethalia infligit vulnera, quam circumſtantiam tenetur confiteri propter judicium Confeſſarii, majorem pœnam infligentis: ergò &c.

Reſpondeo ad primum, priores duos exprimendos eſſe propter poteſtatem Confeſſarii; quia ipſius eſt cognoſcere, an poſſit abſolvere? cùm ergò in primis duobus ipſius poteſtas ſit reſtricta, non in aliis, exprimendus eſt inceſtus in gradu primo, vel ſecundo. Sed hoc nihil ad circumſtantias, unde nego conſequentiam ultimam. Dein, quod inceſtus illi in primo, & ſecundo gradu ſint reſervati, nihil accedit illis majoris malitiæ, quàm anteà habebant; ſunt enim variæ reſervationis cauſæ, ſæpè tantùm propter frequentiam aliquorum peccatorum, ut per reſervationem abſterreantur homines. Tunc

Reſpondeo ad II. nego ſimpliciter, ſi maneat actus intra eandem ſpeciem; ſi verò transeat in crudelitatem in corpore vivo, deberet exprimi; in hoc autem caſu actus vindictæ in Sempronio eſt ſolùm intenſior in eadem ſpecie: conſequenter intenſio neceſſariò exprimen-

da

da non est. Nec actus ille exterior etiam apud Adversarios illos novam malitiam superaddit interno. Alia multa sunt, quæ tamen ex dictis resolvi possunt.

ARTICULUS V.

De efficacia virtutis Pœnitentiæ quoad peccata venialia.

109 Sicut mortalia de lege ordinaria non remittuntur sine pœnitentia, ita nec venialia, quamvis habeant plura, & opportuniora remedia; oportet enim retractare, quod factum est sive multum, seu parum fuerit, ùt docet S. Thomas hìc *3. part. quæst. 87. art. 1.* per totum, & in *Corp.* assignata disparitate inter mortale, & veniale, facit in hoc paritatem: *Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret; ita etiam peccatum veniale; quia manente causa manet effectus.* Debet ergò juxta S. Thomam veniale expelli per actum oppositum, aut virtualiter, aut formaliter talem. Oppositum virtuale sic explicat S. Thomas *cit. loc. in Corp. Unde sequitur, quòd requiratur quædam virtualis displicentia, puta* NB. *cùm aliquis fertur secundùm affectum in DEUM, & res Divinas, ut, quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret, hoc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret.* Ergò jam habemus medium pœnitentiæ virtuale, per quod, quia universale est, delerentur omnia venialia.

110 Dico I. Contritio quamvìs formaliter, vel virtualiter perfecta sit, non delet veniale, cujus affectum non excludit. Est conformiter S. Thomæ.

Ratio est; quia nec formaliter, nec virtualiter retractatum non deletur: sed, ùt supponimus, per contritionem etiam perfectam, non excluditur affectus ad veniale, consequenter non retractatur: ergò non deletur. Et

ne

ne videatur propoſitio ſuperioribus contraria, ſic intellige, poſſe actum contritionis, vel amoris niti motivo tali, ut ita feratur in DEUM, ut quidquid amicitiæ reſtaurandæ, aut conſervandæ adverſum occurreret, rejiceret & damnaret, interim affectu quodam adhæreret veniali, e.g. vanæ gloriæ, in quo caſu defendo, illud veniale non deleri, quamvis deleantur mortalia, quia manente cauſa, manet effectus, niſi accedat alterum S. Doctoris de virtuali diſplicentia. Si dicatur, contritionem, & charitatem perfectam delere omnia, rectáque ad cœlum ducere; Reſpondeo, id verum eſſe, ſi omnibûs numerîs abſoluta ſit utraque, ſecus, ſi affectum ad veniale compatitur, utì poteſt. Nec enim veniale obeſt amicitiæ, quoad ſubſtantiam; ſed nec amicitia excludit veniale, ut docet in terminis S. Thomas *loc. cit. in Corp. Non ſufficit virtualis diſplicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis; quia ſic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet eſſe falſum.* Dein illam virtualem diſplicentiam adjungit, quam citavimus.

Dico II. Nec quævis attritio delet quodvis peccatum veniale. Eſt contra communiorem. III

Probatur argumento priori: attritio, ut deleat veniale, debet affectum excludere: ſed non quælibet attritio excludit affectum: ergò nec delet. Maj. ſuppono. min. mihi eſt certa; quid enim, ſi leviter fueris mentitus, & ſemel leviter offenderis proximum, & de ultimo attritionem elicias, non item de primo? delebis ultimum veniale, remanente primo.

Si dicatur, ſufficere motum ſupernaturalem ad quodvis veniale, dico, id verum eſſe, ſi motus procedat ex motivo univerſali S. Thomæ, ſecus nego, & quomodò probabunt Adverſarii? Sæpe enim contingit, ut unus ſit ita aſſuetus mendaciis, ut parum, aut nihil dicat, quod

non inficiat mendacio, interim dolet de superfluitate potûs, num ideò delentur mendacia? Nihil minùs.

Nec dicas: quamvis attritionem extra Sacramentum id posse in venialia, quod contritio potest in mortalia: sed contritio tollit quodvis mortale: ergò etiam attritio tollit quodvis veniale. Huic argumento immeritò multum roboris attribuunt Adversarii Thomistæ; cùm sit contra S. Thomam & doctrinæ Thomisticæ consequentiam.

Respondeo I. negando Maj. & paritatem, ut jacet; quia contritio necessariò debet esse universalis, consequenter se extendere ad omne mortale sub ratione universali, cùm sit hoc ipso inductiva gratiæ sanctificantis, necessariò expellit omne mortale: at verò attritio ex se non debet esse universalis, & ex motivo universali: ergò non delet omne, quod sub motivo opposito non attingit, nec affectum excludit, si verò attritio supponitur universalis, erit illa virtualis displicentia, quam descripsit S. Thomas.

Respondeo II. Contritionem expellere mortalia, habemus ex Scriptura, & definitum à Conciliis, præsertim Tridentino sæpe citato, nihil simile de attritione quacunque, imò contrarium potiùs; quia Tridentinum *Sess. 14. de Pœnitent. cap. 5.* ait, venialia non esse necessariò in confessione exprimenda NB. *multisque aliis remediis expiari posse:* ergò varia sunt remedia, nec unum solùm ad deletionem sufficit.

112 Ex quibus inferes, multò minùs ad remissionem venialium sufficere quemvis actum virtutis, ac meritorium, cujus ratio data est suprà, quia non omnis actus meritorius includit venialis displicentiam, & excludit affectum. Nec obest, quòd actus meritorius promereatur augmentum gratiæ, & gloriæ, & proin debeat etiam removere

im-

impedimentagloriæ, nec ſecundò, quòd præmium & quidem eſſentiale ſit præſtantius quid, quàm deletio venialis: tertiò, quòd actus virtutis deleat ſemper aliquid de pœna: ergò & aliquam culpam. Quartò, retractationem, & diſplicentiam à nobis requiſitam poſſe ſuppleri per gratuitam acceptationem, vi cujus quodvis opus bonum poſſit ſufficere ad deletionem peccati venialis.

Reſpondeo ad primum, actum meritorium ſatis compenſari per præmium, cúmque peccatum veniale non ſit impedimentum eſſentiale præmii, hoc ipſo tolli non debet; quamvis retardet, non tamen abſolutè impedit gloriam.

Ad ſecundum reſpondeo, eſſe diſparitatem ex eo, quòd illa duo ſint diverſi ordinis, actum meritorium ex ſua natura ordinari ad præmium, non verò ad deletionem peccati venialis, niſi excludat affectum.

Ad tertium iterum eſt diſparitas; nam pœna deletur vel minuitur ſatispaſſione, & ideò aſſumptio cujuslibet operis ardui, & virtuoſi delet aliquid pœnæ: deletio autem culpæ, offenſæ etiam levis, exigit retractationem, ſecus non remittitur.

Ad quartum transeat, quòd DEUS acceptare poſſit quodvis opus virtuoſum, nego tamen, id defactò fieri, cùm nullibi habeatur fundamentum vel in Scriptura, aut Conciliis: ergò gratis aſſeritur. Cùm interea certum ſit, ordinariè non remitti peccatum, niſi retractatum.

Quæres I. An, & quomodò per Sacramentalia de- 113
leantur venialia?

Sacramentalia dicuntur à Sacramentis, tum quia appellant ſuper cæremonias in ſolenni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitas ex uſu & præſcripto Eccleſiæ, utì in Baptismo ſolenni ſunt exorcismi, unctio, immiſſio ſalis, ſalivæ, halitus &c. de quibus Rituale conſu-

lendum eſt; cùm etiam, quia appellant ſuper alias res & actiones, quæ extra Sacramentum ex pia, certa, & communi fidelium opinione proſunt ad deletionem venialium, & in ſatisfactionem, habéntque aliquam analogiam cum Sacramentis in ratione ſigni ſacri, & quibusdam effectibus analogicis, exprimuntur autem hoc noto verſiculo:

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans ſignificat Orationem Dominicam, vel alias Orationes, præſertim recitatas in Eccleſia conſecrata, vel, ùt ait S. Thomas *cit. quæſt. 87. art. 3. in Corp.* dedicata: quo etiam reducitur ſignum Crucis in fronte, ore, & pectore formatum. *Tinctus* innuit aſperſionem aquæ benedictæ, & juxta S. Thomam quamlibet Sacramentalem unctionem, quo revocantur Palmæ in die Palmarum, S. Cineres, Cerei benedicti, quæ omnia ex perpetuo Eccleſiæ uſu conſtant. Per *Edens* ſignificatur comeſtio Panis benedicti, ovorum, agni Paſchalis, cujus vicem hodie ſuſtinet caro tempore Paſchali benedici ſolita, ad quam, vulgò auf das Geweyhte in noſtra patria, amicus amicum invitat. Ad quæ etiam pertinet *ſumptio vini benedicti* in Feſto S. Joannis, aut *tempore nuptiarum*, germanicè Johannis Seegen/ non tamen latè ſumendum eſt pro quocunque hauſtu, ut in abitu fieri ſolet, niſi ſit vinum benedictum.

Confeſſus complectitur Confeſſionem generalem in Eccleſia, die offene Schuld/ item Confeſſiones in Choro, vel ante Miſſam, ſcilicet *Confiteor*, item *tunſionem pectoris*. Per *Dans* intelligitur eleemoſyna, præſertim certis temporibûs Indulgentiarum, vel in ordine ad evertenda mala communia.

Benedicens involvit Benedictiones, præſertim Summi Pontificis, dum benedicit populo, Epiſcoporum, & Abbatum, aliorúmque Infulatorum. Quò etiam pertinent

nent Benedictiones Abbatissarum in suos, imò & aliorum Superiorum in sibi subjectos. Theophilus Raynaudus S.J. *in Heteroclitis Spiritualibus fol. 216.* addit Benedictionem Conjugum per Sacerdotem, qui Author multa, & erudita conscripsit de Sacramentalibus, inter *alia fol.* subsequenti ait sic: *Refertur huc meritò ea benedictio, quam S. Benedictus cap. 42. Regulæ præscribit, impendi ad finem Completorii, additque illud præscriptum confirmatum esse in Concilio Aquisgranensi Can. 48.* de quo à nostris legi meretur. Hæftenus noster *lib. 7. disquis. Monast. tract. 7. disquis. 4.* ad finem. Hanc autem Benedictionem Superioris in filios, & Patris naturalis in suos firmari constat ex illo Ecclesiastici 3. *Benedictio Patris firmat domos filiorum;* & viguit illa in veteri testamento, ut notum ex Benedictione Jacobi, sepositò Esau.

Respondeo I. Sacramentalia ab Ecclesia instituta, & usu fidelium recepta quandam vim specialem in sanctificatione, seu potiùs in purificatione hominum, & deletione venialium habere, hócque probari ex praxi Ecclesiæ, quæ fidelibus hunc usum, & persuasionem à primis temporibus indidit, ut temerè neganti illud S. August. *Epist. 118.* incumberet: *Si quid per universum ordinem frequentat Ecclesia, de eo, quin rectè fiat, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

Respondeo II. non tamen habent vim deletivam 114 venialium ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis. Est contra plures etiam Thomistas, est tamen expressè S. Thomæ *in 4. Sent. distinct. 16. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 4.* ubi in *Corp.* docet de Sacramentalibus *per illa, quæ nata sunt de se excitare fervorem charitatis, peccata venialia dimitti dicuntur.* Dein ad finem *Corp. quòd per Sacramentalia impedimenta fervoris, & gratiæ auferantur,* sicut aqua benedicta, quæ *virtutem inimici reprimit, & Episcopalis*

Benedictio. Doctrinam ſuam confirmavit in Summa *cit. quæſt. art. 3.* ubi in *Corp.* triplicem modum delendi peccata venialia adſtruit. I. Per infuſionem gratiæ, ùt fit in Sacramentis. II. NB. de Sacramentalibus, in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, & hoc modo Confeſſio generalis, tunſio pectoris &c. operantur ad remiſſionem venialium. III. In quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in DEUM, & ad res Divinas, quò reducit Benedictionem Epiſcopalem, aſperſionem &c. Denique *ad primum* tollit omne dubium, dicens: *Omnia iſta cauſant remiſſionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animum ad motum pœnitentiæ:* ſed hoc non eſt delere ex opere operato, ſed nudè ex opere operantis: ergò juxta S. Thomam non delent venialia ex opere operato.

Confirmatur argumentô Thomiſticô negativè: quando agitur de re, neceſſariò dependente ex libera DEI voluntate, & ordinatione, nihil ſtatuendum eſt, niſi habeatur fundamentum ex Scriptura, vel Conciliis, aut Traditione: ſed non conſtat tale fundamentum, aliàs exhiberetur ab Adverſariis, nec Eccleſia poſſet ignorare: ergò nihil ſtatuendum eſt de effectu ex opere operato.

115 Dein in Sententia communi, tenente, quòd Sacramentalia non ſint inſtituta à Chriſto ipſo, ſed ab Eccleſia, conſequenter non ineſſe vim Sacramentalibus delendi venialia ex opere operato, quod facilè oſtenditur: veniale non remittitur, niſi per intenſionem Charitatis, & fervoris amiſſi, vel per actum deteſtativum, motum reverentiæ in DEUM; ſed hæc omnia requirunt auxilium ſupernaturale, quod Eccleſia dare non poteſt, nec intendere charitatem, ut fiat ex opere operato, & quidem infallibiliter: ergò ad ſummum potuit illa inſtituere tanquam media excitantia ad ſimiles actus. Si dicatur, Chriſtum

ſpe-

ſpecialiter hanc poteſtatem dediſſe Eccleſiæ, negandum abſolutè eſt, cùm utique Eccleſia, ſi haberet, hanc poteſtatem fuiſſet profeſſa. Nec audienda eſt paritas: Eccleſia habet poteſtatem dimittendi reatum reſiduum pœnæ per Indulgentias: ergò etiam habet poteſtatem immediatè remittendi culpas. Nam diſparitas patet; poteſtatem Indulgentiarum habemus manifeſtè ex profeſſione Eccleſiæ in Tridentino, non alteram.

Nec prodeſt, ſi uſum Sacramentalium usque ad tempora Apoſtolorum, imò ad ipſum Chriſtum tanquam Authorem cum aliquibus reducas; nam dato hoc gratis, probandum tamen eſt ex Scriptura, aut traditione, Chriſtum Dominum hanc poteſtatem dediſſe Sacramentalibus, quod ſicut de Sacramentis conſtat, ita latet de Sacramentalibus.

Dices cum Gonet hìc *diſput. 4. art. 3. §. 1. n. 57.* Ideò 116
Theologi colligunt ex doctrina Sanctorum Patrum, Sacramenta novæ Legis cauſare gratiam *ex opere operato*, quia Patres dicunt abſolutè, & ſimpliciter, quòd ſanctificent, & purificent: ergò etiam, dum dicunt Sacramentalia nos ſanctificare, & mundare à peccatis venialibus, intelligi debent de remiſſione venialium ex opere operato. Conſequentia videtur bona. Quòd verò Patres de Sacramentalibus hoc dicant, probat. ex Canon. *aquam ſale de conſecratione diſt. 3.* ubi Alexander I. qui erat V. poſt ſanctum Petrum dicit de aqua benedicta, eam ab omnibus Sacerdotibus aſpergendam, *ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur.* Addit dein Pontifex argumentum à minori ad majus: *ſi enim cinis vitulæ aſperſus ſanctificabat, multò magis aquæ ſale conſperſæ* NB. *divinisque precibus conſecratæ.* Hic totus apparatus Patrum eſt. Sed

Reſpondeo, antecedens non eſſe integrum; nam plura addit *cit.* Pontifex, de aqua Benedicta precibus ſacra-

ta

ta &c. non enim Concilia, & Patres solùm dicunt Sacramenta Novæ Legis sanctificare, & purificare, sed ùt ex Tridentino constat, continere gratiam, eámque ritè suscipientibus conferre ad distinctionem Sacramentorum Veteris Legis, quæ erant vacua elementa, nec continebant, nec conferebant gratiam: oportet ergò priùs ostendere, Concilia & Patres eo modo loqui de Sacramentalibus & Sacramentis, quod ex illo textu Alexandri non eruitur, imò aliud non, quàm illud sancti Thomæ, quem utique Gonet inter Sanctos Patres tolerabit, nisi velit ex Sacramentalibus facere Sacramenta? Hoc tamen dabo, unum Sacramentale proximiùs accedere ad deletionem peccati, quia secumfert detestationem, utì confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio Dominica, ubi dicimus, *dimitte nobis debita nostra*, quod specialiter innuit S. Thomas *cit. ex Summa loc.* si tamen hæc seriò fiant; habéntque hæc specialiter annexas preces communes Ecclesiæ, sic etiam videtur clarum *aquæ Benedictæ*, *Palmis*, *sali Benedicto*, & hujusmodi Ecclesiæ intentionem, & preces favere, alia verò remotè solùm concurrere ad purificationem, quod quivis prudenter discernet, interim tamen ubique requiritur motus quidam pius; nec enim proderit, si instar trunci patiaris insperstionem aquæ benedictæ. Hæc pro angustiis, ad quas constricti sumus, dicta sunto,

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.

PA-

PARERGA
EX
UNIVERSA THEOLOGIA.

Ex prima Parte.

1. *NAtura Divina, quæ ab essentia, & attributis virtualiter distinguitur,*
2. *Habet pro suo constitutivo ipsum intelligere radicale.*
3. *In visione beatifica superfluit omnis omninò species.*
4. *Videns essentiam Divinam, non solùm omnia attributa,*
5. *Verùm & relationes videt,*
6. *Nequit tamen videre omnes creaturas possibiles, sicque*
7. *DEUM comprehendere.*
8. *Scientia Divina adæquatè dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis;*
9. *Consequenter non datur scientia media.*
10. *Prima se habet circa res possibiles,*
11. *Illa verò visionis circa futura etiam contingentia.*
12. *In DEO præter subsistentiam absolutam dantur tres relativæ.*
13. *Angeli per suam essentiam non possunt omnia cognoscere,*
14. *Sed indigent speciebus superadditis, quas*
15. *Ab initio creationis à DEO infusas acceperunt.*
16. *Inferior non potest comprehendere superiorem.*
17. *Non cognoscunt certò, & evidenter futura contingentia,*
18. *Aut secreta cordium.*
19. *Angeli se diligunt necessariò quoad specificationem,*
20. *Quamvis non quoad exercitium.*
21. *Num potuerint peccare in primo creationis instanti? Sit Problema.*

Ex secunda Parte.

1. *ACtus, qui fit tempore omissionis culpabilis, si sit causa vel occasio illius, est peccaminosus.*
2. *Non tamen semper habet malitiam distinctam à malitia omissionis.*

3. *Omissio actûs præcepti formaliter imputatur ad culpam, dum urget præceptum.*
4. *Moralitas non est eadem cum libertate.*
5. *Peccatum ideò est formaliter malum, quia lege prohibitum.*
6. *Peccatum commissionis quoad formale non consistit in entitate positiva,*
7. *An ergò consistat in privativo, aut negativo? Problema.*
8. *Distinctio specifica peccatorum desumitur ab objecto formaliter spectato.*
9. *Sacerdos plures absolvens in statu peecati mortalis, committit tot peccata, quot absolvit.*
10. *Appetens malum ab intrinseco, etsi sub conditione:* si esset licitum: *peccat.*
11. *An Beatissima Virgo contraxerit debitum proximum, vel remotum? Problema.*
12. *Parvuli sine Baptismo decedentes nec habent tristitiam,*
13. *Nec pœnâ sensûs puniuntur, sed solâ pœnâ damni.*
14. *An promulgatio sit de essentia legis? Problema.*
15. *Ad hoc, ut leges Pontificiæ habeant virtutem obligativam, sufficit promulgatio Romæ facta.*
16. *An S. Pontificis potestas etiam se extendat ad actus merè internos? Problema.*
17. *Jus naturæ formaliter & directè nec ab ipso DEO mutari potest.*
18. *Lex fundata in præsumptione communis periculi obligat in conscientia, etiam in casu particulari.*
19. *An leges purè pœnales obligent in Conscientia? Sit Problema.*
20. *Status naturæ puræ est possibilis,*
21. *Etiam de potentia ordinaria.*
22. *Homo in statu naturæ lapsæ non est infirmior entitativè, ac fuisset in statu naturæ puræ, hinc*
23. *Potest sine speciali auxilio etiam naturali veritates naturales tum speculativas, tum practicas cognoscere, &*
24. *Non minùs cum solo DEI concursu generali opera naturaliter honesta facere.*
25. *Ad amandum DEUM ùt Authorem naturalem sine auxilio supernaturali*
26. *Probabiliùs etiam potentiam consequentem habet.*
27. *Perseverantia finalis est donum specialissimum.*
28. *Non potest homo mediante gratia sanctificante, & auxiliis illi correspondentibus vitare omnia peccata venialia.*
29. *Gratia sufficiens & efficax malè confunduntur à Molina quoad entitatem.*
30. *Gratia non rectè efficax dicitur eò quòd subsistet scientiæ mediæ.*
31. *Nec DEUS vi illius scire potest, quid homo sit acturus, si illi hæc, vel alia gratia daretur in his vel illis circumstantiis.*
32. *Gratia non est efficax à cooperatione.*
33. *Gratia sanctificans est qualitas entitativè supernaturalis absque favore DEI extrinseco.*

34. *Est formalis, & Physica participatio naturæ Divinæ.*
35. *Distinguitur realiter ab habitu charitatis.*
36. *Non potest in eodem subjecto componi cum peccato mortali.*
37. *Absolutè necessaria est ad remissionem peccati mortalis.*
38. *Quod non potest tolli per conditionem DEI extrinsecam.*
39. *Potest stare fides cum evidentia in attestante.*
40. *S. Pontifex est supra Concilium, ideóque*
41. *Appellatio ab illo facta ad Concilium institui nequit.*
42. *Non datur Justitia commutativa in DEO versùs hominem, & vicissim.*
43. *Dominium plenum ejusdem rei in solidum implicat tam penès donantem,*
44. *Quàm penès donatarium.*
45. *Datur simplex usus facti sine dominio in rebus unico usu consumptibilibus.*
46. *Clerici sunt domini redituum etiam superfluorum.*
47. *Seipsum occidere in nullo casu est licitum.*
48. *An, & quomodo innocens seipsum possit extradere ad petitionem tyranni, &*
49. *An eum Respublica extradere possit? Problemata.*
50. *An liceat condemnare innocentem publicè nocentem? Problema.*
51. *Ex culpa merè juridica regulariter non datur obligatio compensandi damnum.*
52. *Nec ex culpa Theologicè levi, obligatio reparandi damnum ex toto.*
53. *Bona inventa facta diligenti inquisitione in dominum, eo non comparente, fiunt inventoris.*
54. *Qui puellam corrumpit sub promissione facta matrimonii, ordinariè tenetur eam ducere.*
55. *Emptor bonæ fidei potest rem emptam furi restituere ad se indemnem servandum.*
56. *Licitum est in extrema necessitate occupare rem alterius.*
57. *Talis tamen tenetur satisfacere, cùm poterit.*

Ex tertia Parte.

1. *Mysterium Incarnationis naturaliter cognosci nequit.*
2. *Est DEO, & hominibus summè conveniens.*
3. *Nequit purus homo condignè satisfacere pro peccato mortali.*
4. *Peccatum in ratione offensæ non est infinitum.*
5. *Satisfactio Christi est valoris simpliciter infiniti.*
6. *Si Adam non peccâsset, Christus non venisset,*
7. *Etsi cæteri homines in DEUM deliquissent.*
8. *Ratio terminandi formalis est subsistentia relativa filii, quæ*
9. *Potest plures naturas simul terminare,*
10. *Et vicissim subsistentiæ increatæ eandem naturam assumere.*
11. *Ad rationem Sacramenti ùt sic non non pertinet ratio causæ.*

12. *Sacramenta novæ Legis constant rebûs, & verbis.*
13. *Causant gratiam non solùm moraliter, sed etiam physicè, saltem aliqua.*
14. *In statu innocentiæ non fuissent Sacramenta.*
15. *Sacramenta mortuorum per accidens causant gratiam secundam, & vivorum per accidens primam.*
16. *Baptismus infanti nondum integrè nato collatus est validus.*
17. *Validus est etiam submersivus.*
18. *An vinum congelatum sit materia valida Calicis? Problema.*
19. *Forma hujus Sacramenti essentialiter consistit in his tantùm verbis:* Hic est Calix Sanguinis mei.
20. *Essentia formæ absolutoriæ consistit in verbis:* Absolvo te.
21. *Etiam in solo* Absolvo *salvatur.*
22. *In Sacramento Pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta, sed*
23. *Sufficit attritio absque actu formali dilectionis DEI.*
24. *Potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.*
25. *Est obligatio manifestandi complicem, si aliter species peccati explicari non possit.*
26. *Non datur peccatum intrinsecè irremissibile.*
27. *Obligatio statim agendi pœnitentiam post peccatum commissum ostendi nequit.*
28. *Beatissima Virgo fuit capax extremæ Unctionis.*
29. *Episcopatus non est ordo adæquatè distinctus à Sacerdotio.*
30. *Non valent ante septennium sponsalia, quamvis malitia suppleat ætatem.*
31. *Sponsa peccans cum alio non equidem committit adulterium;*
32. *Peccat tamen contra justitiam.*
33. *Polyviria est contra naturam quoad finem Matrimonii primarium, &*
34. *Polygamia saltem quoad finem secundarium.*
35. *Sponsalia secunda quoad vim obligandi non derogant primis,*
36. *Etsi accesserit defloratio.*
37. *Ratio contractûs in Matrimonio potest subsistere sine ratione Sacramenti.*
38. *Inter B. V. & S. Josephum verum Matrimonium fuit.*

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Ritter, Alanus,

Theoremata theologica in Summam Sancti Thomae

Salisburgum 1734

4 Diss. 1179#Beibd.3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10673594-7
VD18 15076180-001